JACQUIN
STAPELIÆ
CULTAE

VINDOBONAE
M DCCC VI

696
12

Biblioteca nazionale centrale di Firenze

This page was intentionally left blank

*

Pagina lasciata intenzionalmente vuota

6. 9. 6. 12

# STAPELIARUM

IN HORTIS VINDOBONENSIBUS CULTARUM

# DESCRIPTIONES FIGURIS COLORATIS ILLUSTRATÆ.


AUCTORE

NICOLAO JOSEPHO L. B. A JACQUIN

ORD. S. STEPHANI R. A. EQUITE, S. C. ET C. R. MAJESTATI A CONSILIIS MONTANIS, IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORE CHEMIAE ET BOTANICES EMERITO, ACADEM. IMPER. PETROPOLITANAE, REG. LONDIN. BEROL. HOLM. UPS. EDIMB. PALAT. HARL. &c. SOCIO.



VINDOBONAE

PROSTANT APUD WAPPLER ET BECK, LONDINI APUD WHITE.

1806.



BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

# SYNOPSIS

# STAPELIARUM

IN QUATUOR FASCICULIS PRIORIBUS

MONOGRAPHIAE JACQUINIANAE

DESCRIPTARUM.

1816.

Synopsin hanc, in proprium usum, ad mentem patris concinnatam, in commodum possessorum monographiae ejus, hic praemittere consultum duxi eo, ut descriptionibus et iconibus ordinatis, usus et scopus operis interea facilitetur. Absoluto fasciculo quinto alioquin completa et fors emendata divulgabitur.

*Josephus Franciscus L. B. de Jacquin.*

89.6.12 10

SYNOPSIS

# STAPELIARUM.

I. Corollis decemdentatis; alis nullis; rostris gibbosis; ligulis coalitis in scutum humile. (HEURNIAE *Brown*).

A. *fauce simplici.*

*campanulata* corollis campanulatis, utrinque puuctatis; ramis strictis, tetragonis.

*barbata* corollis campanulatis, intus punctatis, foris impunctatis, dentibus majoribus cuspidatis; ramis strictis, tetragonis.

*tubata* corollis campanulatis, intus punctatis, foris impunctatis, dentibus majoribus acutis; ramis strictis, tetragonis.

*duodecimfida* corollis duodecimdentatis. (Varietas prioris).

*clavigera* corollis campanulatis, foris impunctatis, intus punctatis, pilisque clavatis hirsutis; ramis strictis, tetragonis.

B. *fauce in orbiculum elevata.*

*ocellata* corollis patentissimis; ligulis obtusis; ramis strictis, tetragonis.

*venusta* corollis patentibus; ligulis erectis; ramis strictis, tetragonis.

*venustae varietas* minor. *fig.* 4. tab. ultimae.

*reticulata* corollis urceolatis; ramis subflexuosis, pentagonis.

*reticulata deformis*. (Prioris monstrum).

II. Corollis quinquefidis; facie in orbiculum solidum elevata; laciniis replicatis; rostris alisque abbreviatis, obtusis; ligulis coalitis in scutum sublime. (DUVALIAE *Haworth*).

*hirtella* corollae laciniis ciliatis; orbiculo undique hirto; ramis tetragonis et pentagonis, suberectis.

*cespitosa* corollae laciniis ciliatis; orbiculo glabro; ramis ovatis, tetragonis et pentagonis.

*radiata* corollae laciniis facie hirsutis, orbiculo margine hirsuto, vertice glabro; ramis articulatis, tetragonis.

*mastodes* corollae laciniis basi ciliatis; orbiculo glabro; ramis articulatis, hexagonis, tuberculis mammillaribus dentatis.

6·9·6·12. IV



*reclinata* corollae laciniis fimbriatis; orbiculo villoso; ramis reclinatis, angulis obtusis, acute dentatis.

*replicata* corolla nuda; ramis procumbentibus et erectis, dentibus patentissimis rigidis.

III. Corollis quinquefidis, fauce simplici; alis rostrisque brevissimis, gibbosis, incumbentibus; ligulis coalitis in scutum, sublime. (OBESIAE *Haworth*).

*geminata* corollae laciniis strigosis; scuti lobis rotundatis, apice paucidentatis; ramis obsolete tetragonis, articulatis.

*serrulata* corollae laciniis strigosis; scuti lobis quadratis, multidentatis; ramis tetragonis, articulatis.

IV. Corollis quinquefidis, fauce simplici, alis rostrisque brevissimis, gibbosis, incumbentibus; ligulis latis, distinctis. (PODANTHES *Haworth*).

*verrucosa* corollae planae laciniis nudis, facie in puncta verrucosa elevatis; ligulis bifidis; ramis tetragonis, dentatis.

*roriflua* corollae campanulatae, intus punctatae laciniis nudis; ligulis bilobis; ramis tetragonis, dentibus acuminatis.

V. Corollis quinquefidis, fauce simplici; alis nullis; rostris gibbosis, elongatis. (GONOSTEMMAE *Haworth*).

*deflexa* corollae pubescentis, laciniis ciliatis, deflexis; rostris subulatis; ligulis oblongis, acutis; ramis tetragonis, angulis repandis.

*glanduliflora* corollae laciniis facie glanduloso-pilosis; rostris subulatis, conniventibus; ligulis oblongis, acutis; ramis pubescentibus, tetragonis, dentatis.

*divaricata* corollae laciniis lanceolatis, acuminatis, ciliatis, obliquis; rostris planis, obtusis, brevibus; ligulis truncatis, mucronatis; ramis sulcato-tetragonis, divaricatis.

*fissirostris* corollae laciniis cuspidatis, ciliatis; rostris erectis, semibifidis; ligulis ovatis; ramis tetragonis, dentatis.

VI. Corollis quinquefidis, fauce simplici; rostris subulatis, elongatis; alis ligulis brevioribus. (TRIDENTEAE *Haworth*).

*gemmiflora* corollis ciliatis; ligulis trifidis, lacinia media elongata, lateralibus linearibus; alis obtusis; ramis tetragonis, dentatis, basi floriferis.

6·9·6·12 V



*hircosa* corollis ciliatis; ligulis trifidis, lacinia media elongata, lateralibus linearibus; alis acutis; ramis tetragonis, longe dentatis, mucronatis, basi floriferis.

*paniculata* corollis intus hirsutis; ligulis oblongis, obtusis, mucronatis; ramis tetragonis, dentatis, basi floriferis.

*vetula* corollis glabris nudis; ligulis ovatis, mucronatis; ramis tetragonis, dentatis, mucronatis, basi floriferis.

*juvencula* corollis nudis; ligulis lanceolatis, acuminatis; ramis tetragonis, in medio et superne floriferis.

VII. Corollis quinquefidis, fauce in orbiculum elevato; rostris elongatis, clavatis. (ORBEAE *Haworth*).

A. *orbiculo solido.*

*mutabilis* corollis margine fimbriatis; ramis tetragonis, dentatis, patentissimis.

*mutabilis Varietas.* Corollae maculis tenuissimis; ligulis bifidis.

*maculosa* corollis margine ciliatis; ramis tetragonis, dentibus patentibus.

B. *Orbiculo spurio.*

*conspurcata* corollis tenuissime ciliato-fimbriatis; rostris alisque capitatis; stigmate quinquelobo; ramis tetragonis, dentibus rigidis.

*trisulca* corollis nudis; rostris alisque obtusis, subaequalibus; stigmate pentagono; ramis tetragonis, dentibus mollibus.

*clypeata* corollis nudis; rostris alisque capitatis; ligulis bifidis, lobis divaricatis; ramis tetragonis, dentibus acutis, mollibus.

*bufonia* corollis nudis; rostris capitatis erectis; alis subulatis, horizontalibus; ramorum dentibus patentissimis, subulatis.

*bufoniae varietas.*

*bufoniae varietas alia.* fig. 5. tab. ultimae.

*anguinea* corollis nudis; rostris alisque capitatis; ligulis semibifidis; ramis erectis, dentibus subulatis, patentissimis.

*marmorata* corollis nudis, striatis, maculatisque; ramorum decumbentium dentibus erectis, mucronatis.

*variegata* corollae brevissime ciliatae fundo pelviformi; alis patulis, rostro brevioribus; folliculis divaricatis; ramis decumbentibus, dentibus acutis, patentissimis.

6.9.6.12 VI



*planiflora* corollis planissimis; ligulis apice bilobis, obtusis; ramis sulcato-quadrangularibus.

*rugosa* corollis planis, orbiculo profunde quinquecrenato; ramis declinatis, dentibus patentibus.

*normalis* corollis quadrifidis et quinquefidis, planiusculis; ligulis apice bifidis cum denticulo in medio; maculis parallelis; folliculis erectis, approximatis; ramis declinatis, angulorum dentibus patentissimis. Folliculus fig. 2. Varietas fig. 6. Alia varietas. fig. 5. tab. ultimae.

*lepida* corollae fundo pelviformi; alis brevissimis, conico-subulatis; ramis decumbentibus, dentibus acutis, patentissimis. (Alis ad Tromotrichen accedit).

VIII. Corollis quinquefidis, fauce simplici; rostris clavatis; alis abbreviatis. (TROMOTRICHES *Haworth*).

*glauca* laciniis corollae fimbriatis; alis subulatis, brevissimis; ligulis emarginatis; ramis tetragonis et hexagonis, angulis obtusis.

*revoluta* laciniis corollae fimbriatis; alis subulatis brevibus; ligulis tridentatis; ramis obtuse tetragonis.

*fuscata* laciniis corollae fimbriatis; alis teretibus; ligulis tridentatis; ramis obtuse tetragonis.

IX. Corollis quinquefidis, laciniis ciliatis, fauce simplici; rostris subulatis, elongatis; alis compressis, obtusis. (STAPELIAE *Linn. Brown. Haworth*).

*Asterias* corollae laciniis facie glabris, limbo hirsutis; rostris compressis, obtusis; ramis tetragonis et hexagonis, dentatis.

*stellaris* corollae laciniis facie glabris, limbo hirsutis; rostris subulatis; ramis tetragonis, dentatis.

*comata* corolla disco pubescente, laciniis deflexis; alis truncatis, apice crenatis; ramis sulcato-tetragonis, dentatis.

*hamata* corollae disco hirsutissimo, rostris dentato-hamatis; ramis tetragonis, dentatis.

*hirsuta* corollae laciniis facie glabris, disco et limbo hirsutissimis; rostris integris; ramis sulcato-tetragonis.

6·9·6·12 VII



*hirsutae varietas.*

*ambigua* corollae disco et laciniarum parte superiori hirsutis; ramis tetragonis.

*ambiguae varietas.*

*depressa* corollae laciniis facie glabris, disco et limbo laciniarum revolutarum hirsutissimis; cornubus longissimis; ramis tetragonis, divaricatis.

*sororia* (*patula Willdenow*) corollae laciniis facie glabris, disco et limbo laciniarum revolutarum hirsutis; ramis tetragonis, divaricatis.

*sororiae varietas* (*sororia Masson et Willdenow*) corollae laciniis facie glabris, disco et limbo laciniarum patentium hirsutis; ramis tetragonis, erectis.

*sororiae varietas alia* (*uncinata Nobis*) corollae laciniis facie glabris, disco et limbo laciniarum revolutarum hirsutis; rostris apice uncinatis, hamatis et punctatis; alis latis, dentatis; ramis tetragonis erectis.

*grandiflora* corollae laciniis facie hirsutis; alis cristatis; folliculis villosis; ramis tetragonis, erectis, profunde sulcatis.

X. Corollis quinquepartitis, laciniis oblongis, fauce simplici; rostris torosis, clavatis, tuberculatis (CARUNCULARIAE *Haworth*).

*pedunculata Jacquini* laciniarum sinubus fimbriatis, caeterum glabris; ramis rotundato-tetragonis, dentatis.

*pedunculata Massoni* laciniarum sinubus fimbriatis, caeterum glabris, ramis rotundato-tetragonis, edentulis. (Ad vivum delineata).

*pedunculata Massoni.* (Repetita ex ejusdem Monographia).

*pedunculata Simsii*, laciniarum variegatarum sinubus fimbriatis, caeterum glabris, ramis subcylindricis, obsolete verrucosis. (Repetita ex Botanical Magazine).

99 100733,0

# PRÆFATIO.

Multi, qui videbunt, poſt editam a celeberrimo Maſſone egregiam ampliſſimamque Stapeliarum novarum hiſtoriam, nihilominus me ſuper Stapeliis novi quiddam moliri, primo quidem intuitu aut plagii me ſuſpicabuntur reum, aut certe inutilem me credent ſuscepiſſe laborem. At vero audiant illi, perpendantque momenta, quibus animum induxi, ut ita agerem. Stapelias numeroſas indefeſſus Georgius Scholl, nunc in horto Cæſareo ſuburbano Belvedere hortulanus aulicus, in variis itineribus ex Promontorio bonæ Spei, hinc verſus Cafros, inde ad ultimos Namaquas usque, factis, tam cum ipſo Maſſone, quam cum illuſtri Gordone, aut etiam ſolus, collegit vivas. Et has quidem ſumma cum cura in Promontorii ipſius horto Gordoniano mox coluit; dein, poſt continuam ibidem per tredecim annos productam commorationem, anno 1799. in Europam redux ſecum transportavit. Earundem autem pars in ipſa jam navigatione perierunt; coactus enim Schollius fuit illas in navis fundo locare, ubi ob humidam calentemque temperiem exorta mire luxurioſa in pluribus vegetatio hisce intulit mortem. Ex incolumibus tamen non minus numeroſis plurimæ in horto Schönbrunnenſi ab anno 1801 ad 1805. copioſiſſime floruerunt; quas inter meo quidem judicio ſpecies detexi, aut omnino novas nec a Maſſone deſcriptas, aut certe Maſſonianarum varietates notabiles, quæ ceu tales etiam innotescere Botanicis merebantur. Accedebat, quod illuſtris Maſſon in deſcriptionibus figurisque ſuis alto preſſerit ſilentio mirabilem & intricatam illam nectariorum ſic dictorum compagem, quæ ut eſt in univerſum quidem ad communem aliquam formam, a generibus affinibus haud omnino abludentem, efficta, habet tamen fere in ſpeciebus ſingulis peculiare quiddam, quo hæ ab invicem facile diſtinguantur. Et hujus quidem rei cognitionem, ad fundendas Stapeliarum ſpecies genuinas, non parum contribuere, imo certitudinem adferre poſſe adæquatam, quin ſæpe adferre poſſe ſolam, deinceps abunde patebit. At vero nec Maſſon ipſe hanc nectariorum diverſitatem ignoravit, qui in figuris ſuis optime, ubi potuit, eorundem ſummitates adumbravit. Sed profecto non erat accurata & integra iſtiusmodi indagatio a Botanico, in deſertis periculoſiſſimisque regionibus procul diuque peregrinante & tot inter alia obſervanda Floræ miracula verſante, aut exſpectanda aut jure poſtulanda; quin ſpe majora hic præſtitiſſe Maſſonem autumo. Longe aliter mihi evenit, cui cultas florentesque in horto Stapelias per horas examinare diesque datum fuit, obſervatori otioſo, dum & microscopia & pictor una eſſent ad manus. Potuiſſem equidem (imo debuiſſem, dicet forte aliquis) Maſſonianarum nectaria hic exponere ſola, cum apud Maſſonem plantæ ipſæ ſint & vere & eleganter expreſſæ. At enim, nec diſſimulo, non potui a genio

impetrare meo, ut has icones, tam concinne tantoque cum labore temporisque dispendio perfectas, perpetuæ traderem oblivioni. Præterea utilitatis etiam specie ducebar aliqua, posse sic cultas meas comparari cum spontaneis silvestribus Massonianis, judiciumque ferri, utrum & quibusnam modis ab invicem discreparent. Haud aliter sensisse ipse Masson videtur, dum in præfatione sua dicit: Figuræ, in patrio climate effictæ, etiamsi parum haberent, quo commendarent sese ratione artis, fortasse proponunt habitum naturalem plantarum, quas repræsentant, melius, quam proponere possunt figuræ factæ ad stirpes in cellis exoticis crescentes. Et sane nullus est Botanicus, qui ignoret, dari plantas, quæ cultæ ab iisdem spontaneis tantopere abludunt, ut species quis crederet diversas. Exempla habemus ex Capensibus in Oxalidibus pluribus, aliisque passim obvia. Cæterum in stabiliendis speciebus omnem fidem adhibui figuris Massonianis; nulla enim ex nostris determinata advenerat, nec poterat advenire, quum in Promontorio Schollius ignorabat, quæ circa Stapelias tunc temporis agebantur in Europa. Determinationes auctorum specificas citavi, atque ipse novas species sic determinavi; sed donec plerarumque nectaria perspecta erunt atque Botanicis indicata, vacillabunt illæ perpetuo.

Speciem hujus generis, quæ innotuisse prima Europæis videtur, anno 1644. primus Joannes Bodæus à Stapel, medicus Amstelodamensis, in Commentariis suis ad Theophrastum sub inepto Fritillariæ crassæ titulo promulgavit cum addita icone, ab Heurnio ex Africa missa, a se non visam vivam. Plusculos post annos hæc coli in Europa cœpit; cui altera brevi accessit, dicta hirsuta. Ab illo tempore ad Massonem usque tertiam nullam in hortos Europæ introductam fuisse, credibile est; numerosæ licet tot aliæ stirpes, per totam illam sæculi intercapedinem, Botanicorum Floræque amatorum ope in Bataviam transmigraverint; cujus quidem incuriæ causam circa plantas tam forma singulares facileque propagandas & colendas ego non capio. Tractus, in quo Stapeliæ Capenses detectæ sparsim crescunt, ab ipso Promontorio ex altero latere extenditur ad Cafros, qui suspiciosi exteros omnes a finibus suis arcent, ex altero ad usque Namaquas, quos deserta ariditate & aquæ penuria inhabitabilia claudunt; sic ultra trecenta milliaria geographica longitudine, & latitudine triginta æquans. Hunc tractum peragrarunt Thunbergius, Masson, Schollius, infelicissimus Gordon, aliique; ut cognitarum Stapeliarum numerus hodie jam superet forte sexagenarium. Quot aliæ ultra dictos limites in horum vicinia species novæ adhucdum latebunt! Nunc vastissimum illud Africæ intueamur triangulum, cujus apex ipsum format bonæ Spei Promontorium; aream vero immensam, utroque tropico sectam, regiones occupant Europæis ignotæ pleræque; & cujus basis pro parte solo mari rubro interjecto dirimitur ab Arabia felici, quacum cæteroquin continuam unam constituisset plagam. Perpendamus porro, in ipsa hac Arabia & quidem in loco paucis ab hoc mari milliaribus distante Forskalium Stapelias detexisse. Nunquid igitur conjectura hinc oritur probabilis, immensum illum triangularem Africæ tractum Stapelias etiam alere suas, ut familia sic evaderet amplissima.

Stapeliæ omnes apud nos hospitantur totum annum in caldariis, & sic vegetant lætissime ramisque abundant. Locantur æstate ante fenestras, aqua lutosa illinita aut alio modo obscurandas, ne solis irradiantis æstu nimio adurantur; hieme autem, ne eodem in loco, tunc caldarii frigidissimo, lædantur gelu, inde transferendæ ad alium, imprimis posticum & altiorem. Utrobique contra aquæ delabentis guttas caute sunt defendendæ; cum hinc putredo nascitur occulta, latius serpens, nec facile deinceps inhibenda. Pleræque cespitose crescunt, radicum pennam columbinam crassarum ope terræ inhærentes: basi teretes, nisi ex ramis truncatis sint propagatæ, quod in omnibus facillime procedit. Florendi tempus apud nos præcipuum est ab ineunte Augusto ad

Octobris finem. Florent tamen etiam ſubinde aliis menſibus, nonnunquam bis eodem in anno, quando ſæpe tunc & flores & fructus maturi ſimul adſunt. Florent autem diu ob ſuccedentes mutuo lente flores. Quare ad ſingulas florendi tempus non indicavi. A Januario ad Aprilim vix ullæ florem producunt. Rami ut plurimum inferne ramoſi ſunt, infrequentius ſuperne. Horum autem directio valde diverſa eſt in ſpeciebus diverſis. In aliis enim eriguntur omnes; in aliis divergunt, aut reclinantur, aut decumbunt, ſic tamen ut hos inter nonnulli una ſtare ſoleant recti, aut ſaltem adſcendant; quare directio ramorum in multis ſpeciebus determinandis admodum vacillat. Sunt carnoſi, & ſucco aqueo turgent, plerumque amaro & ingrato. Rami multarum villoſi ſunt, plurimarum ad tactum molles, quamvis nulla pube conſpicua veſtiantur. Vere glabri nitidique in paucis ſunt; ad lentem enim offerunt epidermidem inæquabilem. In hisce plantis, certe in cultis, difficile dictu eſt, quid ſit caulis? quid ſint rami? Sæpe ex ipſa baſi caulis primi, etiam infra ſuperficiem terræ, alii caules ſimiles attolluntur, ut tandem discerni nequeat, quis ille fuerit caulis princeps. Sic quilibet ramus avulſus, terræque commiſſus, evadit caulis; aut horizontaliter telluri incumbens, novos caules generat, dum ſimul novas producit radices. Propterea cum egregio Maſſone mentionem ſolorum ramorum facio, ac ſi caules non adeſſent. Dentes in angulis ramorum modo valde vicini, modo ſunt ab invicem remotiores; ſed diſcrimen hoc in iisdem ſpeciebus, imo iisdem in ramis, ſæpe tantum eſt, quantum alias obſervatur in diverſis ſpeciebus; ut raro hæc diſtantiarum diverſitas admitti in determinationibus ſpecificis poſſit. Nec video, quæ hic res normam pro ſtatuendis diſtantiis daret. Mucrones dentium ejusdem ſunt ſubſtantiæ & coloris cum ramis, unde ortum ducunt, carnoſi, villoſi, glabri, & ſic porro; ætate vero exſiccantur, ut mentiantur aculeos. Sulci inter angulos ramorum modo ſunt profundiſſimi, ut anguli fere alas referant; modo minus profundi ſunt cum angulis craſſis obtuſis & rotundatis; modo iterum vix ulli adſunt cum lateribus planis; ſed hæc in multis ſpeciebus quam maxime variant, aut ab ætate, aut aliunde, ut peti hinc differentia ſpecifica raro poſſit. Pedunculi unitas non raro fallit; nam ſæpe ad latus tardius alter exoritur. Plerique pedunculi prodeunt ex ramorum juniorum inferiore parte, vel ipſa ex baſi; in aliis ex ſuperiore; in paucioribus ex media; in pauciſſimis ex toto ramorum decurſu. Vere racemoſi ſunt infrequentes; aggregati ex proceſſu communi craſſo plures. Ferme omnes bracteolis ad ortum muniuntur. In floribus adhucdum clauſis ſive gemmis magna obtinet figuræ ſæpe & conſtans diverſitas; quare in iconibus merentur exacte depingi, quod jam factum a Maſſone videmus in plurimis. Corollæ omnibus ſunt craſſæ, coriaceæ, & ad lucem ſæpe ſemipellucidæ. Quando expanduntur, horizontaliter patent; quarum plures ſic expanſæ manent cum ſolis nonnunquam marginibus revolutis. Aliæ per diem aut per paucas dumtaxat horas in hoc ſtatu perſtant, deinde revolvuntur aut partim aut totæ. Tandem ocyus ſerius omnes erigunt lacinias ſuas, connivendo marcescunt, & germine calyceque relictis delabuntur una cum nectariis & ſtaminibus. Ubique obſervavi filamenta decem, orta ſitaque uti in Asclepiadeis. Antheræ planæ conſtant carne molli, vero polline pulverulento privatæ. Ex fundo corollæ membrana attollitur laxa, cylindrica & ſæpe modice pentagona. Nectarii *Saccum* voco, utpote qui piſtillum totum circumdat & continet, ita ut ſtigma discoideum pentagonumque claudat ejusdem orificium. In ſtigmatis angulis puncta ſunt omnino quina, plerumque fusca, ex quibus ſingulis filamenta gemella originem trahunt breviſſima, ſuam antheram gerentia. Pertinent igitur ex legibus ſyſtematis Linnæani Stapeliæ ad ordinem Decandriæ in claſſe Gynandriæ, ſuntque plantæ monogynæ ob ſtigma unicum. Porro ſaccus ille terminatur apice in *Cornua* quinque, plerumque bifida, quorum pars altera interior ſit *Roſtrum*, quia aduncum tale ſæpe refert, altera exterior dorſalis ſit *Ala*. Hæc ſi deficit, tunc ipſius locum occupat gibbus

rotundatus, quare roſtrum iſtiusmodi uno vocabulo dicam *gibboſum.* Roſtrorum baſes, productæ antrorſum, incumbunt ſtigmatis margini, excipiuntque duobus ſuis loculamentis ſingulæ duas antheras. Ex ſacci ambitu infra cornuum ortum, cumque his alternantes, proceſſus alii quinque exeunt, patuli aut horizontaliter porrecti, inter ſeſe diſtincti, quos a figura *Ligulas* vocavi. Harum in pluribus ſpeciebus deſideratarum locum occupat discus circularis, ſaccum nectarii ambiens, monophyllus, & horizontaliter expanſus, quem *Scutum* appellavi, quod ratione inſertionis duplex eſſe ſolet, *ſublime*, quando cornibus proxime ſubjicitur, ut haberi poſſet pro ligulis in unam laminam coadunatis, aut vero *humile*, dum ex baſi ipſa ſacci oritur, fundoque corollæ adnaſcitur, ambitu ſolo liberum. In non paucis Stapeliis faux corollæ attollitur in tumorem pentagono-circularem, quem cum Maſſone *Orbiculum* ſaluto, *ſolidum*, quando ex ſolida faucis carne incraſſata formatur, ut ejus nullum in dorſo plano veſtigium appareat, cujusmodi habetur in Stapelia ceſpitoſa. Aut *inanem*, ſi ſolo elevato & tumente disco, cum ſulco dorſali hinc enato, effingitur, uti in Stapelia reticulata. Aut *ſpurium*, quando ex ipſo margine fundi corollæ formatur, qui in lamellam attollitur, antrorſum ſemirevolutam, & orbiculum mentitam. Pilos, qui oras corollæ Stapeliæ reclinatæ occupant, ſpathulatos mobiliſſimosque, uno *Fimbriarum* verbo egregius Maſſon diſtinguit a pilis in Stapelia ceſpitoſa ſimpliciſſimis ſive *Ciliis;* quam diſtinctionem ſimili in caſu ſecutus ubique fui. *Planæ* mihi ſunt in Stapeliis corollarum laciniæ, quæ nec margines habent revolutos, nec convexæ ſunt aut concavæ, utcunque cæterum reflectantur ipſæ. *Patentiſſimas* dico, quæ horizontaliter expanduntur per totam longitudinem, nulla habita ratione planitiei. Nec tabulas, nec in textu paginas, numeris ſignavi, ut poſſint abſoluto opere pro lubitu ordinari.

## *STAPELIAE SILVESTRES.*

C. C.

*Africa, qua tractu immenſo procedit ad auſtrum,*
*Oceanus cujus lævas Atlanticus oras,*
*Indicus oppoſitas maleſidis alluit undis,*
*Spes bona cui nomen dabat olim, nos fere ſola*
*Stapelias genuit. Quid enim non gigneret illa*
*Monſtrorum fœcunda parens? quæ nutrit hyænas*
*Crudeles, rabidasque tigres, ac ungue leones*
*Terribiles, vaſtos elephantos, rhinocerotes*
*Cornuto indomitos naſo, cervice giraffas*
*Sublimi informes, et tetros mole biſontes.*
*Cætera mittamus miris animantia formis;*
*Quorum pars in aquis habitat, pars dira veneno*
*Reptat humi, in patulis volitat pars puchrior auris.*
*Nos quoque monſtra ſumus regni vegetabilis, omni*
*Orbatæ ſemper foliorum fronde, merisque*
*Stipitibus ſimiles clavatis debilibusque,*
*Qui vix erecti perſtant, quin ſæpe per ipſam*
*Proſtrati jaceant confuſo ceſpite terram.*
*Carnoſæ et craſſæ facile putrescimus uda*
*Illuvie, aut pluvia larga, ſi forte moretur*
*Hæc intra noſtros protracto tempore ramos.*
*Longa tamen vita eſt, et mors rariſſima. Nempe*
*Alma parens natura ſuis vel proſpicit ipſis*
*Monſtris, cuique ſibi propriam dans vivere vitam:*
*Sic nos incolumes fruticis ſub tegmine denſi*
*Crescimus in terris ſiccis ſabulove perenni,*
*Radicum validis fixæ longisque capillis.*
*Frondes derivant pluvias. Si quæ tamen ad nos*
*Pervaſere, brevi bibula potantur arena.*
*Sic ab aquis nimiis tuto defendimur. At ne*
*Ariditas contra noſtræ ſit noxia vitæ,*
*Quem quævis aliquem ſecum vehit aura vaporem,*
*Sugimus in noſtram ſua per ſpiracula carnem.*
*Si tamen ob longos patriæ ſiccosque calores*
*Vel ſic exhauſtæ videamur, et undique rugis*
*Fœdari, tandem miſere flaccescere totæ,*
*Nil nocet; ad primos redivivæ ſurgimus imbres;*
*Prodigiumque novum miratur, qui videt, hoſpes.*
*Dejectæ, fractæ, transverſa in fruſta reſectæ,*
*In quocunque cutis puncto contingere nudam*
*Poſſe datur terram, demittimus ilico fibras,*
*Quæ nutrire queant, minitantes fallere Parcas,*

*Inque puellares formas convertere aniles.*
*Monſtroſo ex habitu, ſimili quo crescimus omnes,*
*Mox generis nomen facile unicuique patescit;*
*Sed vel ob hoc ipſum certo diſtinguere veras*
*Indicio ſpecies, tanto magis ardua res eſt.*
*Id ſoli præſtant flores, mirabilis ille*
*Nectarii imprimis ſitus et polymorpha figura.*
*Hic ligulas, alas, hic roſtra, et ſcuta videtis,*
*Tam varia in variis. Nunc obſervate corollas,*
*Queis maculæ faciem exornant, aut puncta cruenta,*
*Aut eſt ſanguineus color unus, rarior alter.*
*Sæpe corolla etiam pulchre eſt bicoloribus intus*
*Transverſim percurſa ſtriis ſulcataque rugis.*
*Sunt, quarum margo ciliis umbratur, utramque*
*Nonnunquam in faciem flexis, licet ipſa glabrescat,*
*Aut contra denſis quoque pubeat antica villis.*
*Pagina in averſa pallent pleræque; virore*
*Suffuſæ modico, nervisque ſubinde notatæ.*
*Sunt quoque monſtroſo nobis genitalia nexu*
*Unita, et pulchre ſtellatis tecta coronis.*
*Germina circumdat ſaccus. Bis quinque jugata*
*Stamina punctatis pendent a ſtigmatis oris.*
*Anthera a loculo roſtrorum quælibet uno*
*Excipitur, latitatque, oculis non conſpicienda.*
*Eja age, naturæ ſpeculator, et inſpice totam*
*Florum compagem noſtrorum, hærebis ad omnes*
*Attonitus partes. Si nunc ad viscera pergis,*
*Non erit ulla tui finisque modusque ſtuporis.*
*Eſt odor in ramis nullus; ſed amarus et acer*
*Guttatim manat læſorum ex vulnere ſuccus.*
*Et tamen ex nobis aliquæ (quis credat) aceto*
*Conditæ, indigenis in gratam cedimus escam.*
*At, piget effari, tam tetrum plus minus omnes*
*Exhalant flores putrefactæ carnis odorem,*
*Ut ſua deceptæ confidant faucibus ova*
*Muscæ, ſic proli ſe proſpexiſſe futuræ,*
*Credentes, escamque adeo reperiſſe paratam.*
*Tales in patriis vegetare ſolemus arenis;*
*Tales nos Maſſon detexit primus, et omnes*
*Deſcriptas pictasque dedit, Zephyritidis almæ*
*Cultori eximium nec non peramabile donum.*
*Quod nunc in calidis nos nutriat Anglia cellis,*
*Hoc etiam Maſſonis opus, qui transtulit illuc.*
*Sed quod Callirhoës ornemus non minus hortum,*
*Cæſareis natum auſpiciis, id Schollius egit.*
*Inque Europæo quod nunc ſpectemur amictu,*
*Et ſic ad ſedes liceat remeare paternas,*
*Has tibi, Jacquini, debemus pendere grates.*

# SYNOPSIS STAPELIARUM

## DESCRIPTARUM.

I. Corollis decemdentatis; alis nullis; rostris gibbosis; ligulis coalitis in scutum humile. (HEURNIAE *Brown*).

A. *fauce simplici.*

*campanulata* corollis campanulatis, utrinque punctatis; ramis strictis, tetragonis.

*barbata* corollis campanulatis, intus punctatis, foris impunctatis, dentibus majoribus cuspidatis; ramis strictis, tetragonis.

*tubata* corollis campanulatis, intus punctatis, foris impunctatis, dentibus majoribus acutis; ramis strictis, tetragonis.

*duodecimfida* corollis duodecimdentatis. (Varietas prioris).

*clavigera* corollis campanulatis, foris impunctatis, intus punctatis, pilisque clavatis hirsutis; ramis strictis, tetragonis, acuminatis, dentibus subulatis patentissimis.

B. *fauce in orbiculum elevata.*

*ocellata* corollis patentissimis; ligulis obtusis; ramis strictis, tetragonis.

*venusta* corollis patentibus; ligulis erectis; ramis strictis, tetragonis.

*venustae varietas* minor. *Fig.* 4. *tab. ultimae.*

*reticulata* corollis urceolatis; ramis subflexuosis. pentagonis.

*reticulata deformis.* (Prioris monstrum).

II. Corollis quinquefidis; fauce in orbiculum solidum elevata; laciniis replicatis; rostris alisque abbreviatis, obtusis; ligulis coalitis in scutum sublime. (DUVALIAE *Haworth*).

*hirtella* corollae laciniis ciliatis; orbiculo undique hirto; ramis tetragonis et pentagonis, suberectis, versus apicem attenuatis, dentibus subulatis patentissimis.

*cespitosa* corollae laciniis ciliatis; orbiculo glabro; ramis ovatis, tetragonis et pentagonis, dentibus subulatis, recurvis.

*radiata* corollae laciniis facie hirsutis, orbiculo margine hirsuto, vertice glabro; ramis articulatis, tetragonis.

*mastodes* corollae laciniis basi ciliatis; orbiculo glabro; ramis articulatis, hexagonis, tuberculis basi subhexagonis planiusculis, mammillaribus, dentatis.

*reclinata* corollae laciniis fimbriatis; orbiculo villoso; ramis reclinatis, angulis obtusis, acute dentatis.

*replicata* corolla nuda; ramis procumbentibus et erectis, dentibus patentissimis rigidis.

III. Corollis quinquefidis, fauce simplici; alis rostrisque brevissimis, gibbosis, incumbentibus; ligulis coalitis in scutum sublime. (OBESIAE *Haworth*).

*geminata* corollae laciniis strigosis; scuti lobis rotundatis, apice paucidentatis; ramis obsolete tetragonis, articulatis.

*serrulata* corollae laciniis strigosis; scuti lobis quadratis, multidentatis; ramis tetragonis, articulatis.

IV. Corollis quinquefidis, fauce simplici, alis rostrisque brevissimis, gibbosis, incumbentibus; ligulis latis, distinctis. (PODANTHES *Haworth*).

*verrucosa* corollae planae laciniis nudis, facie in puncta verrucosa elevatis; ligulis bifidis; ramis tetragonis, dentatis.

*roriflua* corollae campanulatae, intus punctatae laciniis nudis; ligulis bilobis ramis tetragonis, dentibus acuminatis, patentibus.

V. Corollis quinquefidis, fauce simplici; alis nullis; rostris gibbosis, elongatis. (GONOSTEMMAE *Haworth.*)

*deflexa* corollae pubescentis, laciniis ciliatis, deflexis; rostris subulatis; ligulis oblongis, acutis; ramis tetragonis, suberectis, divisis, angulis repandis.

*glanduliflora* corollae laciniis facie glanduloso-pilosis; rostris subulatis, conniventibus; ligulis oblongis, acutis; ramis pubescentibus, tetragonis, dentatis.

*divaricata* corollae laciniis lanceolatis, acuminatis, ciliatis, obliquis; rostris planis, obtusis, brevibus; ligulis truncatis, mucronatis; ramis sulcato-tetragonis, divaricatis.

*fissirostris* corollae laciniis cuspidatis, ciliatis; rostris erectis, semibifidis; ligulis ovatis; ramis tetragonis, dentatis.

VI. Corollis quinquefidis, fauce simplici; rostris subulatis, elongatis; alis ligulis brevioribus. (TRIDENTEAE *Haworth*).

*gemmiflora* corollis ciliatis; ligulis trifidis, lacinia media elongata, lateralibus linearibus; alis obtusis; ramis tetragonis, dentatis, basi floriferis.

*hircosa* corollis ciliatis; ligulis trifidis, lacinia media elongata, lateralibus linearibus; alis acutis; ramis tetragonis, longe dentatis, mucronatis, basi floriferis. (*T. muccosa Haw. Suppl.*)

*paniculata* corollis intus hirsutis; ligulis oblongis, obtusis, mucronatis; ramis tetragonis, dentatis, basi floriferis.

*vetula* corollis glabris nudis; ligulis ovatis, mucronatis; ramis tetragonis, dentatis, mucronatis; basi floriferis.

*juvencula* corollis nudis; ligulis lanceolatis, acuminatis; ramis tetragonis, in medio et superne floriferis.

VII. Corollis quinquefidis, fauce in orbiculum elevata; rostris elongatis, clavatis. (ORBEAE *Haworth*).

A. *orbiculo solido.*

*mutabilis* corollis margine fimbriatis; ramis tetragonis, dentatis, patentissimis.

*mutabilis Varietas.* Corollae maculis tenuissimis; ligulis bifidis.

*maculosa* corollis margine ciliatis; ramis tetragonis, dentibus patentibus.

B. *Orbiculo spurio.*

*conspurcata* corollis tenuissime ciliato-fimbriatis; rostris alisque capitatis; stigmate quinquelobo; ramis tetragonis, divaricatis, dentibus rigidis.

*trisulca* corollis nudis; rostris alisque obtusis, subaequalibus; stigmate pentagono; ramis tetragonis, dentibus mollibus.

*clypeata* corollis nudis; rostris alisque capitatis; ligulis bifidis, lobis divaricatis; ramis tetragonis, adscendentis, dentibus acutis, mollibus.

*bufonia* corollis nudis; rostris capitatis erectis; alis subulatis, horizontalibus; ramiconfecti adscendentibus; dentibus patentissimis, subulatis.

*bufoniae varietas.*

*bufoniae varietas alia. Fig. 5. tab. ultimae.*

*anguinea* corollis nudis; rostris alisque capitatis; ligulis semibifidis; ramis erectis, dentibus subulatis, patentissimis.

*marmorata* corollis nudis, striatis, maculatisque; ramorum decumbentium dentibus erectis, mucronatis.

*variegata* corollae brevissime ciliatae fundo pelviformi; alis patulis, rostro brevioribus; folliculis divaricatis; ramis decumbentibus, dentibus acutis, patentissimis.

*planiflora* corollis planissimis; ligulis apice bilobis, obtusis; ramis sulcato-quadrangularibus.

*rugosa* corollis planis, orbiculo profunde quinquecrenato; ramis declinatis, dentibus patentibus.

*normalis* corollis quadrifidis et quinquefidis, planiusculis; ligulis apice bifidis cum denticulo in medio; maculis parallelis; folliculis erectis, approximatis; ramis declinatis, angulorum dentibus patentissimis. Folliculus fig. 2. Varietas fig. 6. Alia varietas. fig. 5. tab. ultimae.

*lepida* corollae fundo pelviformi; alis brevissimis, conico-subulatis; ramis decumbentibus, dentibus acutis, patentissimis. (Alis ad Tromotrichen accedit).

VIII. Corollis quinquefidis, fauce simplici; rostris clavatis; alis abbreviatis. (TROMOTRICHE *Haworth*).

*glauca* laciniis corollae fimbriatis; alis subulatis, brevissimis; ligulis emarginatis; ramis erectis tetragonis et hexagonis, angulis obtusis.

*revoluta* laciniis corollae fimbriatis; alis subulatis brevibus; ligulis tridentatis; ramis obtuse tetragonis.

*fuscata* laciniis corollae fimbriatis; alis teretibus; ligulis tridentatis; ramis obtuse tetragonis.

IX. Corollis quinquefidis, laciniis ciliatis, fauce simplici; rostris subulatis, elongatis; alis compressis, obtusis. (STAPELIAE *Linn. Brown. Haworth*).

*Asterias* corollae laciniis facie glabris, limbo hirsutis; rostris compressis, obtusis; ramis tetragonis et hexagonis, dentatis.

*stellaris* corollae laciniis facie glabris, limbo hirsutis; rostris subulatis; ramis tetragonis, dentatis.

*comata* corolla disco pubescente, laciniis deflexis; alis truncatis, apice crenatis; ramis sulcato-tetragonis, dentatis.

*hamata* corollae disco hirsutissimo, rostris dentato-hamatis; ramis tetragonis, dentatis.

*hirsuta* corollae laciniis facie glabris, disco et limbo hirsutissimis; rostris integris; ramis sulcato-tetragonis.

*hirsutae varietas.*

*ambigua* corollae disco et laciniarum parte superiori hirsutis; ramis tetragonis erectis.

*ambiguae varietas.*

*depressa* corollae laciniis facie glabris, disco et limbo laciniarum revolutarum hirsutissimis; cornubus longissimis; ramis tetragonis, divaricatis.

*sororia (patula Willdenow)* corollae laciniis facie glabris, disco et limbo laciniarum revolutarum hirsutis; ramis tetragonis, divaricatis pubescentibus.

*sororiae varietas (sororia Masson et Willdenow)* corollae laciniis facie glabris, disco et limbo laciniarum patentium hirsutis; ramis tetragonis, erectis.

*sororiae varietas alia (uncinata Nobis)* corollae laciniis facie glabris, disco et limbo laciniarum revolutarum hirsutis; rostris apice uncinatis, hamatis et punctatis; alis latis, dentatis; ramis tetragonis erectis.

*grandiflora* corollae laciniis facie hirsutis; alis cristatis; folliculis villosis; ramis tetragonis, erectis, profunde sulcatis.

X. Corollis quinquepartitis, laciniis oblongis, fauce simplici; rostris torosis, clavatis, tuberculatis. (CARUNCULARIAE *Haworth*).

*pedunculata Jacquini* laciniarum sinubus fimbriatis, caeterum glabris; ramis rotundato-tetragonis, dentatis.

*pedunculata Massoni* laciniarum sinubus fimbriatis, caeterum glabris; ramis rotundato-tetragonis, edentulis. (Ad vivum delineata).

*pedunculata Massoni.* (Repetita ex ejusdem Monographia).

*pedunculata Simsii* laciniarum variegatarum sinubus fimbriatis, caeterum glabris; ramis subcylindricis, obsolete verrucosis. (Repetita ex Botanical Magazine).

XIII
1

## STAPELIA CAMPANULATA.

Stapelia ramis tetragonis; corollis decemfidis, campanulatis, utrinque punctatis; scuto humili, quinquelobo, lobis truncato-crenulatis.

Stapelia ramis pluribus, ſimplicibus, erectis, tetragonis, dentatis; dentibus patentibus, acutis; corolla decemfida, campanulata, ſcabra; tubo barbato. *Maſs. stap. pag.* 11. *tab.* 6.

Stapelia corollis decemdentatis, laciniis majoribus lanceolatis, fundo campanulato; pedunculis trifloris; ramis erectis, tetragonis, baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1293.

RAMI plures, erecti vel adſcendentes, glabri, virides, digitum vel pollicem craſſi, a tribus ad ſeptem uncias longi, ſulcato-quadrangulares, angulis dentatis, dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI ex inferiore ramorum juniorum parte, uniflori, plusculi aggregati, mutuo ſuccedentes, orti omnes ex proceſſu communi brevique, nec apud nos racemoſi uti apud Maſſonem, teretes, glabri, patentes, pallidi, unciales.

CALYCIS foliola quinque, lanceolato-linearia, acuminata, glabra, albida, patentiſſima.

COROLLA fœtidula, campanulata, foris pallida totaque punctis majoribus ſive ocellis rubris adſperſa, intus pallide ſulphurea & tota variegata punctis purpureis minutiſſimis aliisque majoribus purpureo-nigris & leviter elevatis. *Tubus* interne ad faucem usque barbatus pilis clavatis atropurpureis & horizontaliter ad centrum porrectis, qui oculo ingreſſum ad fundum nectariumque negant, ſola baſi nudus, cæterum ſtriis transverſis interruptis purpureo-atris rugoſus, ipſo fundo infra ſcutum purpureo. *Limbus* impubes, patens, decemfidus; *laciniis* acuminatis, alternis parvis.

NECTARII atropurpurei *ſaccus* brevis. *Roſtra gibboſa* ſubulata, recurva. *Scutum* humile, lucidum, patentiſſimum, ſemiquinquelobum; lobis latis, truncato-crenulatis.

OBSERV. Elapsis annis 1802. 1803. & 1804. plurimas habuimus Stapelias tubatas florentes; nullam vero videram Stapeliam Maſſonis campanulatam; hinc ſub finem anni 1805. in edendo textu ad primum Stapeliarum cultarum fasciculum dixi, agens de tubata, campanulatam nos non poſſidere. Auguſto menſe anni 1806. in horto Schönbrunnenſi, ex ſeminibus Schollianis jam diu ſatis enata, tandem floruit; et didici, bene me a campanulata tunc tubatam ſeparaſſe.

TABULA ſiſtit plantam florentem, portionem internam tubi corollæ; et aucta nectarium, ſtamen, cornu, ſtigma & germen.

2

## STAPELIA BARBATA.

Stapelia corollis ſubdecemfidis, campanulatis; tubo intus ſuperne piloſo; laciniis erecto-patulis.

Stapelia ramis pluribus tetragonis pentagonisque, confertis, ſuberectis; dentibus ramorum acutis, ſubpatentibus; corolla campanulata, decemfida; laciniis acutis, ſubpatentibus. *Maſſ. ſtap. pag.* 11. *tab.* 7.

Stapelia corollis decemdentatis, campanulatis; laciniis majoribus lanceolatis, acuminatis, ſcabris, clavato-barbatis; pedunculis corolla brevioribus; ramis ſubtetragonis, erectis, baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1293.

RAMI conferti, tetragoni vel pentagoni, ſuberecti, glabri, digitum vel pollicem craſſi, a duabus ad quatuor uncias longi, ex glauco vireſcentes, ad angulos dentati; dentibus acutis, rigidulis, approximatis, patentiſſimis.

PEDUNCULI ad baſin ramorum plusculi aggregati, plerumque terni, uniflori, teretes, breves, glabri, pennam columbinam craſſi, patentiſſimi, pallidi.

CALYCIS foliola quinque, lineari-lanceolata, acuminata; patentiſſima, glabra, pallida.

COROLLA vix odorata, decemfida, campanulata; foris ſubſtriata, pallida, omnino impunctata, & glabra; intus ſulphurea, tota punctis extantibus ſubclavatis ſanguineisque obſita; fauce & diſci parte pilis clavatis ſanguineis ornata; unam & quartam unciæ partem longa. *Tubus* cylindraceus, intus ſuperne ſimiliter punctatus & piloſus, inferne nudus ſtriisque circularibus rubris rugoſulus. *Limbus* erecto-patulus; laciniis alternis minutis, aliis magnis & cuſpidatis.

NECTARII *ſaccus* brevis, purpureus. *Roſtra* gibboſa, ſubulata, flexuoſo-erecta, ſanguinea. *Scutum* humile, ſanguineo-atrum, patentiſſimum, diviſum in lobos quinque oblongos & emarginatos.

OBSERV. In hortum noſtrum botanicum ex Anglia ſub dicto titulo advenit; corollæ tubo hæc a planta Maſſoniana parum diſcrepat.

TABULA ſiſtit plantam florentem; & nectarium cum portione tubi corollæ; tum ad lentem aucta totum nectarium, ſtamina, roſtrum, germen & ſtigma.

# STAPELIA TUBATA.

Stapelia ramis tetragonis; corollis decemfidis, campanulatis, intus punctatis, foris impunctatis; ſcuto humili, decemlobato; lobis rotundatis.

RAMI plurimi, ſimpliciſſimi vel baſi ramoſi, glabri, virides, erectiusculi, ſemipedales, pollicem craſſi, tetragoni, angulis dentatis, dentibus rigidis & patentiſſimis.

PEDUNCULI ex infima ramorum parte, uniflori, ſolitarii, teretes, glabri, patentiſſimi, pallidi, ſemunciales.

CALYCIS foliola quinque, lineari-lanceolata, acuta, glabra, patentiſſima, pallida.

COROLLA fœtida, decemfida, diametri biuncialis, campanulata; foris glabra, omnino impunctata, nervoſa, pallida; intus ex ſulphureo pallens, tota punctis ſanguineis denſe adſperſa. *Tubus* campanulatus, in parte ſuperiore & in fauce barbatus punctatusque, inferne nudus lineisque circularibus atroſanguineis percurſus. *Limbus* amplus, patentiſſimus; *laciniis* acuminatis, alternis parvis.

NECTARII *ſaccus* atropurpureus, brevis. *Roſtra gibboſa*, ſubulata, acuta, inferne erecta, dein patula, ſanguinea. *Scutum* humile, ſanguineo-atrum, patentiſſimum, in ambitu decemlobatum, lobis rotundatis.

OBSERV. Differt hæc a Maſſonis Stapelia campanulata pedunculis ſimplicibus nec ramoſis, tum corollis foris impunctatis. Utrum etiam differat genitalibus, ignoro, nam campanulatam non poſſidemus.

TABULA proponit plantam florentem, nectarium; aucta dein idem, cornu, ſtamen, germen, & ſtigma.

# STAPELIA DUODECIMFIDA.

Stapelia corollis campanulatis, duodecimfidis; ſcuto humili, ſexlobo, lobis retuſis.

RAMI plurimi, inferne ramoſi, rarius ſimplices, glabri, virides, erecti vel adſcendentes, a tribus ad ſeptem uncias longi, pollicem & ultra craſſi, tetragoni, rariſſime hexagoni, angulis dentatis, dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI ex infima ramorum parte, ſolitarii, uniflori, teretes, glabri, patentiſſimi, pallidi, ſemunciales.

CALYCIS foliola ſex, lineari-lanceolata, acuta, glabra, patentiſſima, pallida.

COROLLA fœtida, campanulata, duodecimfida, diametri fere triuncialis; foris glabra, nervoſa, albida, tota impunctata exceptis laciniarum majorum ſummitatibus ſubtiliſſime punctatis; intus ex ſulphureo pallens, totaque punctis ſanguineis denſe adſperſa. *Tubus* campanulatus, in parte ſuperiore & in fauce hirſutus, inferne nudus lineisque circularibus atroſanguineis rugoſus. *Laciniæ* acuminatæ, plicatæ, alternæ majores.

NECTARII *ſaccus* atropurpureus, brevis. *Roſtra* ſex, ſubulata, *gibboſa*, erecta, ſuperne incurvata, acuta, ſanguinea. *Alæ* nullæ. *Scutum* humile, atroſanguineum, patentiſſimum, ſexlobum, lobis truncatis retuſis & crenulatis.

TABULA ſiſtit plantam florentem cum uno ramo hexagono, & nectarium cum portione baſeos tubi; dein aucta nectarium totum, ſtamen, roſtrum, ſtigma & germen.

OBSERV. Ex ſeminibus Capenſibus Schollianis enata, flores magnos & duodecimfidos primis duobus annis omnes produxit, ut pro diſtincta novaque ſpecie haberemus. At vero deinde mixtos una decemfidos & minores, & tubata etiam unum alterumve duodecemfidum tulit, unde patuit, hanc meram eſſe tubatæ varietatem. Pedunculis etiam paucis aggregatis utraque ludit.

## STAPELIA CLAVIGERA.

Stapelia ramis tetragonis; corollis decemfidis, campanulatis, intus punctatis, foris impunctatis; roſtris gibboſis; ſcuto humili, quinquelobo; lobis emarginato-bilobis.

RAMI erecti vel adſcendentes, glabri, virides, baſi ramoſi vel ſimpliciſſimi, tandem ſemipedales & pollice craſſiores, tetragoni, rarius pentagoni vel etiam hexagoni, angulis dentatis, dentibus approximatis rigidis & patentiſſimis.

PEDUNCULI ex infima ramorum parte, ſolitarii vel gemelli, uniflori, teretes, glabri, unciales, patentiſſimi.

CALYCIS foliola quinque, lineari-lanceolata, acuta, glabra, pallida, patentiſſima.

COROLLA fœtida, decemfida, campanulata; foris glabra, nervoſa, omnino impunctata, pallide & ſordide virens; intus ſordide & ex fusco flava, tota punctis exſtantibus ſanguineisque variegata, fauce & disci magna parte pilis ſanguineis clavatis ornata. *Tubus* campanulatus, ſuperne ſimiliter punctatus & piloſus, inferne nudus ſtriisque circularibus ſanguineis rugoſus. *Limbus* amplus, patentiſſimus; *laciniis* acuminatis, alternis parvis.

NECTARII *ſaccus* atropurpureus, brevis. *Roſtra gibboſa*, ſubulata, acuta, inferne erecta, ſuperne patula, ſanguinea. *Scutum* humile, ſanguineo-atrum, patentiſſimum, in ambitu quinquelobum; lobis planis, emarginato-bilobis.

TABULA ſiſtit plantam florentem; & aucta nectarium, ſtamen, cornu, ſtigma, germen, & portionem limbi corollæ cum pilis, quales, brevi dejecti mutuoque incumbentes, exhibere ſeſe ſolent.

# STAPELIA OCELLATA.

Stapelia ramis tetragonis pentagonisque; corollis decemfidis orbiculoque inani maculatis; ſcuto humili, decemlobato, obtuſo.

RAMI plures, conferti, ſimplices, erecti, glabri, ex glauco virentes, quatuor uncias longi, digitum vel pollicem craſſi, tetragoni, rarius etiam pentagoni; angulis dentatis, dentibus approximatis patentiſſimis.

PEDUNCULI ex infima parte ramorum juniorum pauci vel ſolitarii, uniflori, teretes, glabri, ſemunciales aut paulo longiores, in gemmis erecti, deinde patentiſſimi.

CALYCIS foliola quinque, lineari-lanceolata, acuta, glabra, patentia.

COROLLA fere inodora, decemfida, diametri biuncialis, foris ſordide pallens, intus flava maculisque minoribus ſubrotundis ceu ocellis ſanguineis tota adſperſa. *Tubus* campanulatus, intus pilis obtuſis hiſpidus. Limbi patentis *laciniæ* acutæ, alternæ minimæ. *Orbiculus* inanis.

NECTARII *ſaccus* rubro alboque varius. *Roſtra gibboſa* inferne rubra, dein alba cum maculis atroſanguineis, ſubulata, erecta, apicibus patula. *Scutum* humile, obtuſe decemlobatum, diſco pallens, lobis ſordide ſanguineis.

GENITALIA *germina* virentia, punctisque purpuraſcentibus adſperſa.

TABULA repræſentat plantam florentem, partem internam tubi corollæ, & totum nectarium; dein aucta idem nectarium, cornu, ſtamen, germen & ſtigma.

# STAPELIA VENUSTA.

Stapelia corollis decemfidis, punctatis; orbiculo inani, punctato; ſcuto humili, pallente cum maculis quinque ad baſin atroſanguineis, acute decemlobato; ramis tetragonis, rarius pentagonis.

Stapelia ramis tetragonis pentagonisque; ramulis patentiſſimis, divaricatis, glabris; denticulis ramorum patentibus, acutis; corolla decemfida; tubo glabro, ampliato in orbiculum elevatum. *Maſs. ſtap. pag.* 10. *tab.* 3.

Stapelia corollis decemdentatis, glabris, laciniis majoribus ovato-acuminatis, fundo concavo orbiculo elevato cincto, pedunculis corolla longioribus deflexis, caule ſubtetragono erecto ſuperne ramoſo, ramis baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1294.

RAMI plures, glabri, virides, ſimplices vel ramoſi, erecti vel divaricati, vix ſemipedales, pollicem craſſi, tetragoni, rarius pentagoni, angulis dentatis, dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI ſæpius ex inferiore parte ramorum juniorum, ſolitarii vel plusculi aggregati, uniflori, teretes, glabri, patentiſſimi, pallidi, unciales.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, patentiſſima, pallida, glabra.

COROLLA decemdentata, diametri biuncialis, foris pallida. *Tubus* campanulatus, foris lineatus, intus per ſtrias transverſas ſanguineas ſulphureasque variegatus & per ſtrigas albas muricatus. *Limbus* ſulphureus, facie punctis ſanguineis denſe adſperſus, patentiſſimus, planus, fauce elevatus in *orbiculum* inanem punctatumque, dentibus acuminatis, alternis triangularibus magnis, aliis minutis.

NECTARII *ſaccus* flavus cum angulis rubris. *Roſtra gibboſa,* inferne rubra, dein pallida cum apicibus rubris, ſubulata, erecta, ſupra medium patula. *Scutum* humile, argute decemdentatum, pallens cum oris & apice purpureis, baſi inſignitum maculis quinque ſubrotundis atropurpureis ſimilique linea inter ſeſe connexis.

OBSERV. Dubius hæſi, utrum eſſet hæc Stapelia ad Maſſonis amandanda venuſtam, an vero ad ejusdem guttatam, mihi huc usque non viſam. Determinavit me conſideratio nectarii in utraque figura Maſſoniana, quod, cujusmodi in mea planta eſt, depingitur ibidem in venuſta, minime autem congruit cum nectario guttatæ. Ramorum hic me nihil habitus movit; vidi enim in horto Schönbrunnenſi plantam meam florentem modo cum ramis uti in figura venuſtæ Maſſonis, modo cum ramis, quales in mea figura expreſſi, modo cum ramis denſiſſimis omnibus erectis fereque ſimplicibus, uti in figura Maſſonis guttatæ. Unum ſcrupulum mihi adimere nequeo, pendentem a colore cæruleo gemmarum floris venuſtæ Maſſonianæ, ab atro colore tubi interni, & a glabritie tubo a Maſſone attributa venuſtæ, quem intus ſcabrum aſſerit in guttata.

TABULA exprimit plantam florentem, nectarium; dein aucta idem nectarium, cornu, ſtamen & germen.

## STAPELIA RETICULATA.

Stapelia ramis pentagonis; corollis decemfidis, intus reticulato-maculatis; limbo pelviformi; ſcuto humili, acute ſemidecemfido.

Stapelia ramis pentagonis, denticulatis; dentibus patentibus; corolla decemangulata; tubo intus barbato, ampliato in orbiculum elevatum. *Maſs. ſtap. pag.* 9. *tab.* 2.

Stapelia corolla decemdentata; laciniis majoribus ovatis, acutis, fundo barbato, orbiculo elevato cincto; pedunculis binis, corolla brevioribus; ramis pentagonis, patulis, baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1295.

RAMI plurimi, diffuſi, erecti vel adſcendentes, glabri, virides, ſeniores ſæpe purpurascentes, ſemipedales, digitum ad minus craſſi, omnes pentagoni, angulis dentatis, dentibus rigidis patentiſſimis vel recurvatis.

PEDUNCULI ex infima ramorum juniorum parte ſolitarii, vel aggregati bini aut terni, teretes, glabri, vix unciales.

CALYCIS foliola quinque, lanceolato-linearia, ſordide viridula, patentiſſima.

COROLLA fœtida, biuncialis diametri, rigida, ſemipellucida, decemfida, foris tota glabra & pallida. *Tubus* campanulatus, craſſus; intus atroſanguineus, lucidus, & totus quantus pilis ad centrum directis vel ad faucem usque hirſutus; ſupra hanc elevatus in *orbiculum* inanem, atroſanguineum, lucidum, & ſæpe obſcure maculatum. *Limbus* in facie ex flavo pallet, in lacinias acutas & alternas minimas dividitur, urceolatus, patens, maculis in ambitu minutiſſime denticulatis punctisque ſanguineis vel atroſanguineis adſperſus, ut videatur ſanguineus & reticulo flavescente percurſus.

NECTARII *ſaccus* eſt atropurpureus. *Roſtra gibboſa*, ſubulata, inferne ſanguinea, & erecta, dein convergunt, hinc iterum erecto-patula ſunt, pallentque cum maculis rubris. *Scutum* humile, atroſanguineum, acute ſemidecemfidum, patentiſſimum.

GERMINIS cuticula baſi atroſanguinea & hirtella, ſuperne flavescit cum punctis rubellis. *Folliculi* duo, ſubulati, tres quatuorve uncias longi, calamo ſesquicraſſiores, apice ſubhamato, erecti.

TABULA exhibet plantam florentem & fructescentem; nam floret hæc a Majii fine ad Octobrim usque. Dein aucta ſtigma & ſtamen. Sequitur in naturali magnitudine nectarium totum; aucta demum idem, cornu antice conſpectum, & germen.

## STAPELIA RETICULATA DEFORMIS.

OBSERV. Præ reliquis Stapeliis ſic dicta reticulata quam maxime apud nos ex ramis avulſis multiplicata fuit, ut poſſideamus hodie ipſarum magnum numerum, quæ ſingulæ quotannis ab ineunte Junio ad Octobris usque finem flores dare pergunt. Inter has diverſitas vel potius degeneratio occurrit notabiliſſima & duplex, mera tantum dicenda varietas, cum ex eadem oriatur ipſiſſima ſtirpe, quæ nihilominus & deſcribi & depingi meretur. Altera ſæpius obtinet in florum corollis; altera bis ſolummodo a me obſervata in ramis fuit, ante tres annos ſemel in horto Schönbrunnenſi, quod exemplar in tabula adjecta exhibetur, & anno elapſo 1805 iterum in horto botanico Vindobonenſi. Scilicet ramus aliquis plantæ exterior ipſo ex apice ſuo digitatum denſumque fasciculum plurium ramulorum prompſit, ſpectaculo inſolito flabellum ſimul formantium utrinque planum amplumque, cujus forte ob pondus declinatus, totus terræ incubuit. Tunc ab hortulano avulſus a planta matre, ollæ novæ impoſitus, alligatusque ſuſtentaculo, ne labasceret, tertio anno mox infra flabellum paucos ramulos florentes produxit, inque decurſu ſuo duos ramulos laterales ſimplices in icone truncatos. Vindobonenſis autem ramus ſimiliter flabelliformis cum matre adhucdum cohæret, totus proſtratus, omni ramulo alio deſtitutus, nec florens. Sed in hoc geminata viſitur deformitas, dum flabelli ramulus alter exterior in flabellum aliud ipſe ſolvitur. Altera frequentior aberratio a more ſolito in corollis locum habet; quæ communiter concavæ & pelviformes ſunt; hic ex adverſo ob margines retrorſum arcuatos convexæ ſpectantur, vel tantum horizontaliter expanſæ. Nulla aut inverti vi aut revolvi ſine fiſſura propter rigiditatem poteſt. Plerumque hæ corollæ minores ſunt, maculæque magis nigræ. Omnes has varietates in una planta hic exhibui. Nectarium omiſi, quia plane congruit.

## STAPELIA HIRTELLA.

Stapelia orbiculo ſolido, hirtello; limbi disco reflexo; laciniis lanceolatis, patentiſſimis, oris in laminam verticalem replicatis, ciliatis, dorſo conniventi-clauſis.

RAMI procumbentes vel adſcendentes vel erecti, ſubbiunciales, digitum minimum craſſi, glabri, virides, tandem conferti & numeroſi, tetragoni, ſæpe etiam pentagoni, angulis dentatis, dentibus patentiſſimis & rectis vel recurvis.

PEDUNCULI ex inferiore vel media, etiam ſuperiore parte ramorum, uniflori, ſæpius ſolitarii, teretes, glabri, unciales, patentiſſimi.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra.

COROLLA fœtidula, foris ſordide virens, intus atropurpurea. Clauſa pyramidata, acuta, quinqueloba. Expanſæ fundus planus ſine ullo *tubo*. *Limbi* ad duas tertias quinquefidi discus totus reflectitur, ſic, ut connivendo circa pedunculum claudat exacte ingreſſum ad calycem, qui conſpici nequit. *Laciniæ* lanceolatæ, acutæ, patentiſſimæ, ciliatæ, marginibus ad invicem in laminam verticalem replicatis. *Orbiculus* ſolidus, undique hirtus.

NECTARII *ſaccus* breviſſimus & pallens abit in *ſcutum* ſublime, rufum, leviter quinquelobatum cum lobulis ſubrotundis & emarginatis, reſpondentibus exacte ſinubus orbiculi, quocum ſummam corollæ planitiem conſtituit. Ex ſcuti centro *roſtra* quinque attolluntur ovata, obtuſula, craſſa, ſcuto concoloria, alis deſtituta.

OBSERV. A Stapelia ceſpitoſa primo intuitu diſtinguitur ramis non ovatis, ſed columnaribus; deinde disci reflexi margine ſubtus conniventi-clauſo, nec patente. A replicata differt hirſutie ſua; & a reclinata ciliis ſimplicibus nec ſpathulatis.

In TABULA ſiſtuntur plantæ hujus duo ſpecimina, alterum floribus hirtellis, alterum iisdem maxime hirtis; dein aucta orbiculi vertex amplectens nectarium conſpectum verticaliter; nectarium totum viſum a latere; roſtrum; ſtamen; germen; ſtigma.

## STAPELIA CESPITOSA.

Stapelia orbiculo ſolido; fundo plano; limbi disco reflexo, ſubtus patente; laciniis lanceolatis, patentiſſimis, ad oras in laminas planas replicatis, ciliatis; ramis ſubovatis.

Stapelia ramis confertis, procumbentibus, tetragonis, dentatis; dentibus acutis, patentibus; corolla quinquefida, recurvata; laciniis patentibus, replicatis, ciliatis. *Maſs. ſtap. pag.* 20. *tab.* 29.

Stapelia corolla quinquefida; laciniis lanceolatis, acutis, margine revolutis, ciliatis; pedunculis longitudine corollæ; ramis procumbentibus, tetragonis, ſupra baſin floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1282.

RAMI plerique procumbentes, pauci erecti, glabri, ſæpius ſubovati, unam alteramve unciam longi, digitum vel pollicem craſſi, tandem conferti & numeroſi, tetragoni, rarius pentagoni; angulis dentatis; dentibus patentiſſimis, rectis vel recurvatis.

PEDUNCULI ex parte inferiore vel medio ramorum, uniflori, plusculi aggregati, rarius ſolitarii, teretes, ſemunciales.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra, ob corollæ discum reflexum etiam patenti-reflexa.

COROLLA glabra, fœtidula, foris ſordide virens, intus atropurpurea. Clauſa pyramidata, acuta, quinqueloba. Expanſæ fundus planus, ergo *tubus* nullus. *Limbi* ad duas tertias quinquefidi discus totus reflectitur manente ejus margine, qui nunc infimam corollæ partem facit, aperto, ita ut oculo via pateat ad calycem usque. *Laciniæ* lanceolatæ, acutæ, patentiſſimæ, ciliatæ, marginibus in dorſo ad invicem in laminam verticalem replicatis. *Orbiculus* ſolidus, glaber.

NECTARII *ſaccus* breviſſimus, rubellus, abit in *ſcutum* pallide virens, ſublime, obtuſe & leviter quinquelobatum, lobulis ſuis correſpondens ſinubus orbiculi, quocum ſummam corollæ planitiem conſtituit; ex cujus centro *roſtra* quinque attolluntur ovata, obtuſa, craſſa, ſubflavescentia, *alis* deſtituta, unam ſubſtantiam cum ſcutis facientia.

OBSERV. Mire luxuriat; ramisque ſuis, veluti articulatis, omnibusque fibrarum radicalium ope terræ firmiſſime inhærentibus, intra tres quatuorve annos totam implet ollam, & denſiſſimum format ceſpitem. Tunc imprimis in ambitu copioſe floret; quia hic ſunt plerique rami juniores. Ad orbiculi ſolidi ſuperiorem marginem usque ſimul elevatur nectarium, & discus corollæ ex adverſo reflectitur totus infra ſuum fundum cum laciniis tamen horizontalibus. Hæc flori ſingulariſſimum habitum conciliant, primo intuitu non facile dijudicandum. Quo quidem, cognitas inter, gaudere ſolas video Stapelias ceſpitoſam, reclinatam, hirtellam & replicatam, forte etiam articulatam.

In TABULA exhibentur tota planta florens. Aucta dein flos totus perpendiculariter per medium ſectus, orbiculus nectarium amplectens verticaliter inſpectus, nectarium totum viſum a latere, cornu baſi a ſcuto avulſum, ſtamen, germen, & ſtigma.

# STAPELIA RADIATA.

Stapelia orbiculo ſolido; limbi disco utrinque plano & patentiſſimo; laciniis lanceolatis, patentiſſimis, ad oras reflexis, ciliatis; ramis oblongis, articulatim cohærentibus.

RAMI numeroſiſſimi, glabri, sordide virentes, unam alteramve unciam longi, digitum craſſi, procumbentes, ſed a vicinis preſſi etiam adſcendentes vel erectiuſculi, articulatim cohærentes, idque ſæpe in ſemipedales faſciculos, tetragoni; angulis dentatis, in ſenioribus ſæpe evaneſcentibus; dentibus patentiſſimis, etiam recurvulis.

PEDUNCULI ex media plerumque parte ramorum juniorum pluſculi aggregati, uniflori, patuli, teretes, glabri, purpuraſcentes, plus minus unciales.

CALYCIS pentaphylli foliola lanceolata, acuta, glabra, concava, patentiſſima, ſordide purpuraſcentia.

COROLLA fœtidula, foris ſordide virens & glabra, intus atropurpurea lucida & ſubglabra, ad oras pilis ſimplicibus ciliata, clauſa pyramidata, quinqueſulcata & acuta, expanſa ſemiquinquefida cum fundo plano. *Tubus* nullus. *Laciniæ* limbi lanceolatæ, acutæ, patentiſſimæ, ad oras reflexæ; disco hirſuto, in centro ſupra parum elevato, ſubtus plano. *Orbiculus* ſolidus, corollæ laciniis concolor, lucidus, obſcure pentagonus, in vertice impubes, in ambitu hirſutus.

NECTARII *ſaccus* brevis et viridis abit in *ſcutum* ſublime, ferrugineum, obſolete pentagonum, patentiſſimum, cum circumdante orbiculo planitiem ſummam corollæ conſtituens; ex cujus centro *roſtra* quinque attolluntur ovata, craſſa, obtuſa, pallide et ſordide aurantiaca. *Alæ* nullæ.

OBSERV. Sub titulo dato hanc ex Anglia ſæpius accepimus; quem ſervare debui. Ad Stapeliam ceſpitoſam proxime accedit, a qua differt imprimis ſinubus disci corollæ minime reflexis, licet laciniæ ipſæ modice reflectantur in oris ſuis; tum ramis oblongis, nec ovatis. Anno 1806. prima vice apud nos floruit. Ramis ſuis primo totam replet ollam, dein faſciculis veluti concatenatis longe ultra ollam dependet.

Partem ſic vegetantis plantæ TABULA repræſentat; aucta deinde nectarium totum cum ambiente ſummo margine disci elevati corollæ, inſpectum verticaliter; nectarium ſolum ſpectatum lateraliter; ſtamen; roſtrum; ſtigma; germen.

## STAPELIA MASTODES.

Stapelia corollæ laciniis bafi ciliatis, orbiculo pubescente; ramis articulatis, hexagonis, tuberculis mammillaribus dentatis.

RAMI adfcendentes, rarius erecti, glabri, plerumque fubovati, articulati, unciam longi, rarius elongati biunciales, digitum craffi, hexagoni, rarius pentagoni, dentati, dentibus patentiffimis vel recurvatis, in tuberculis mammillaribus hexagonis.

PEDUNCULI aggregati, tres ad quinque, patentes, flexuofi, unciales, pennam columbinam craffi, glabri, purpurafcentes.

CALYCIS foliola quinque, ovata, concava, acuta, glabra, patentiffima, fordide virentia.

COROLLA foris fordide alba, punctis purpureis minimis, intus atropurpurea, quinquefida, rarius quadrifida. *Laciniis* lanceolatis, acutis, patentiffimis, bafi pilis fubulatis, raris ciliatis, cæterum nudis, in laminam verticalem longitudinaliter replicatis, et disco ita replicato ut perianthium perfecte tegatur. *Orbiculus* folidus, planus, fordide viridis, punctis atropurpureis denfe adfperfus, tenuiffime pubescens et ciliatus.

NECTARII *faccus* brevis, abiens in fcutum fublime. *Roftra* quinque erecta, brevia, ovata, obtufa, craffa, pallide fusca, pubefcentia. *Alæ* nullæ. *Ligulæ* connatæ in fcutum ut fupra.

OBSERV. Floruit in horto Univerfitatis, ex Anglia accepta. Floribus Stapeliæ hirtellæ, ramis Stapeliæ cefpitofæ affinis.

TABULA fiftit plantam florentem; aucta dein: Corollam transverfe fectam, cum orbiculo, una lacinia integra altera per medium longitudinaliter fecta; genitalia cum orbiculo a fuperiori parte vifa; cornu; filamenta cum antheris; germina calyce fuffulta et ftigma a fuperiori parte vifum.

# STAPELIA RECLINATA.

Stapelia orbiculo ſolido; limbi disco reflexo; laciniis lanceolatis, patentiſſimis, oris in laminam verticalem replicatis, fimbriatis.

Stapelia ramis pluribus, tetragonis, reclinatis, dentatis; dentibus acutis, patentibus; corolla quinquefida, recurvata; laciniis patentibus, replicatis, fimbriatis. *Maſs. ſtap. pag.* 19. *tab.* 28.

Stapelia corollis quinquefidis; laciniis lanceolatis, margine ciliatis; fundo elevato; pedunculis corolla longioribus; ramis patentibus, tetragonis, ſupra baſin floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1282.

RAMI plurimi, glabri, virides, reclinati, pauci erecti, diffuſi, digitum craſſi, plerique palmares, rarius vel pedales, tetragoni; angulis obtuſis, dentatis; dentibus acutis, patentiſſimis.

PEDUNCULI ex inferiore & media parte ramorum juniorum, uniflori, rarius plusculi aggregati, teretes, glabri, unciales, patentiſſimi, purpurascentes.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, pallide virentia, glabra, patentiſſima.

COROLLA fœtidula, foris ſordide virens, intus atropurpurea, quinquefida. Clauſa quinqueſulcata, acuta, baſi quinqueloba. Expanſæ fundus planus, unde *tubus* nullus. Limbi discus totus reflexus, poſtice apertus; *laciniæ* in laminam verticalem ad mutuo applicantur, lanceolatæ, acutæ, patentiſſimæ, fimbriatæ. *Orbiculus* ſolidus, villoſus.

NECTARII *ſaccus* breviſſimus, rubescens, abit in *ſcutum* ſublime, ſanguineum, leviter quinquelobatum, lobulis ſuis ſubrotundis & integerrimis accommodans ſeſe ſinubus orbiculi in unam faciem planam. Ejusdem discus centralis elevatur in *roſtra* quinque, ovata, obtuſa, craſſa, ſordide aurantiaca, alis carentia.

TABULA exponit totam plantam florentem; aucta orbiculi ſuperficiem cum contento nectario, nectarium ſolum, ſtamen, cornu & germen.

# STAPELIA REPLICATA.

Stapelia orbiculo ſolido; disco limbi reflexo, ſubtus clauſo; laciniis lanceolatis, patentiſſimis, oris in laminam verticalem replicatis, omni pube deſtitutis.

RAMI glabri, palmares, digitum craſſi, conferti, adſcendentes, procumbentes, erecti, verbo quaquavorſum directi, tetragoni, angulis dentatis, dentibus patentiſſimis rigidisque.

PEDUNCULI ex inferiore & media parte ramulorum, uniflori, plerumque ſolitarii, teretes, glabri, patentes, unciales & ultra, purpurascentes.

CALYCIS foliola quinque, lanceolato-linearia, acuta, patentiſſima, glabra, pallide virentia.

COROLLA fœtidula, foris ſordide virens, intus tota atropurpurea, quinquefida. Clauſa quinqueſulcata, acuta, baſi quinqueloba. Expanſæ fundus planus, unde *tubus* nullus. Limbi ad duas tertias quinquefidi discus totus reflexus, & margine, qui nunc infimam corollæ partem occupat, ſic connivente & clauſo, ut oculo omnem ingreſſum ad fundum corollæ calycemque intercipiat. *Laciniæ* lanceolatæ, acutæ, patentiſſimæ, marginibus in dorſo ad invicem in laminam verticalem replicatis. *Orbiculus* ſolidus.

NECTARII *ſaccus* breviſſimus purpurascit; abitque in *ſcutum* ſublime, ſanguineum, leviter quinquelobatum, lobis bidentatis ſuis accommodans ſe ſinubus orbiculi, ut unam planitiem conſtituat. Ejusdem discus elevatur in *roſtra* quinque, ovata, obtuſa, craſſa, ſordide flava, *alis* carentia.

FOLLICULI gemini, erecti, glabri, ſemipedales.

TABULA ſiſtit totam plantam florentem, & ab anno præterito fructescentem; in qua depinguntur flores in diverſo ſtadio, unus cum laciniis expanſis, quando marcescere incipit. Dein exhibentur aucta orbiculus cum comprehenſo nectario, verticaliter inſpectus; nectarium totum viſum a latere; ſtamen; roſtrum; germen; & ſtigma.

## STAPELIA GEMINATA.

Stapelia ramis oblongis, articulatim cohærentibus; pedunculis gemellis; corollis margine revolutis; alis aduncis roſtro ſuo incumbentibus; ſcuto quinquelobo, carnoſo.

Stapelia ramis oblongis, ſubtetragonis, dentatis, dentibus parvis; floribus geminatis; corollarum laciniis lanceolatis, acutis, margine revolutis. *Maſs. ſtap. pag.* 18. *tab.* 25.

Stapelia corollis quinquefidis; laciniis lanceolatis, margine revolutis; pedunculis geminatis, longitudine corollæ; ramis decumbentibus, teretibus, apice floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1290.

RAMI glabri, oblongi, obtuſi, articulatim cohærentes, craſſi digitum, unciam vel ſescunciam longi, glauci vel viridiores, ſemper procumbentes, niſi a vicinis ramis in alium ſitum premantur, obſoletius tetragoni, angulis paucidentatis, dentibus patentibus & parvis, imo ſæpe ſubteretes & angulo deſtituti fere omni.

PEDUNCULI ex ſuperiore ramorum parte egrediuntur, ex eodem puncto conſtanter gemini, mutuo tamen ad paucos dies ſuccedentes, glabri, teretes, erecti, purpurascentes, uniflori, plus minus ſemunciales.

CALYCIS quinquefidi foliola lanceolata, acuta, glabra.

COROLLA adhucdum clauſa conica, pentagona, obtuſa; expanſa fætidiſſima, diametri plus quam uncialis, profunde quinquefida, patentiſſima; foris cum flavedine ſordens, impunctata, glabra; intus flava vel aurantiaca, punctis ſanguineis adſperſa, ad lentem ſtrigis albis denſe obſita, nec tamen ſcabra. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* lanceolatæ, acuminatæ, margine revolutæ.

NECTARII *ſaccus* brevis. *Roſtra* breviſſima, obtuſa, incumbentia, flava. *Alæ* lanceolatæ, acutæ, planæ, flavæ, roſtris longiores, his incumbentes, aduncæ. *Ligulæ* nullæ. *Scutum* ſublime, craſſum, carnoſum, cum baſibus alarum connatum, quinquelobum, lobis rotundatis, & apice paucidentatis.

TABULA ſiſtit plantam florentem; dein aucta nectarium totum, ſtamen, cornu integrum, & germen.

17

## STAPELIA SERRULATA.

Stapelia ramis oblongis, articulatim cohærentibus; pedunculis gemellis; corollis margine revolutis; alis ſcutique lobis apice serratis.

RAMI oblongi, glabri, articulatim cohærentes, digitum vel pollicem craſſi, a duabus ad quinque uncias longi, glauci vel viridiores, procumbentes vel erectiuſculi, tetragoni; angulis dentatis, dentibus patentiſſimis, nonnunquam obſoletis.

PEDUNCULI ex ſuperiore ramorum juniorum parte, ſæpius ex eodem puncto gemelli, mutuo brevi ſuccedentes, glabri, teretes, erecti vel patuli, ſordide purpuraſcentes, uniflori, ſemunciales.

CALYCIS quinquepartiti foliola lanceolata, acuta, glabra, patentiſſima.

COROLLA fœtida, diametri plus quam uncialis, profunde quinquefida, patentiſſima; foris ſordens, impunctata, glabra; intus ſordide flava, punctis ſanguineis adſperſa, ad lentem ſtrigis albis denſe obſita, nec tamen ſcabroſa. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* lanceolatæ, acuminatæ, margine revolutæ.

NECTARII omnino lutei *ſaccus* breviſſimus. *Roſtra* incumbentia, obtuſa, breviſſima. *Alæ* oblongæ, apice digitato-ſerratæ, planæ, roſtris longiores, his incumbentes. *Ligulæ* nullæ. *Scutum* carnoſum, ſublime, cum baſibus alarum connatum, quinquelobum; lobis quadratis, erectis, ſuprema ora multidentatis.

OBSERV. Principia aſſumpta ſecutus, ob notabiliſſimam alarum loborumque ſcuti differentiam hanc ſtapeliam a geminata, cæterum summopere conformem, ſpecie ſejunxi.

TABULA exhibet plantam vetulam, utrinque ſoboliferam. Dein aucta nectarium integrum, ſtamen, cornu cum adhærente ſcuti lobo, ſtigma, & germen.

## STAPELIA VERRUCOSA.

Stapelia corollis planis, facie verrucoſis; orbiculo pentagono; roſtris gibboſis; ligulis bifidis.

Stapelia ramis pluribus, ſuberectis; dentibus ramorum acutis, decuſſatis; corolla plana, verrucoſa, medio parum elevata in pentagonum genitalia ambiens ſcabrum. *Maſs. ſtap. pag.* 11. *tab.* 8.

Stapelia corollis quinquefidis, verrucoſis; laciniis ovatis, acutis; fundo pentagono, ſcabro; pedunculis corolla longioribus; ramis adſcendentibus, tetragonis, baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1291.

RAMI plurimi, baſi connati, hic adſcendentes, cæterum erecti, glabri, ex glauco virentes, tres quatuorve uncias longi, digitum minimum craſſi, tetragoni, angulis dentatis, dentibus rectis patentibus.

PEDUNCULI ex inferiore parte ramulorum, ſolitarii vel bini ternive, uniflori, teretes, glabri, patentiſſimi, unciales, pennam columbinam craſſi.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra.

COROLLA fœtidiſſima, ſemiquinquefida, patentiſſima, plana, diametri duarum cum dimidia unciarum, impubes; foris glabra, cum virore pallens, ſuperne purpurascens, lineata; intus ſulphurea totaque quanta, maxime in fundo, elevata in verruculas, hinc ad tactum ſcabrida. Hæ verruculæ ſunt oblongæ, teretiusculæ, cum vertice plano & ſordide ſanguineo, maculasque ſolas oculo inſpicienti offerunt. *Tubus* quidem verus adeſt nullus; ſed fundus corollæ in amplam intropreſſus pelvim ſpeciem tubi format expanſi. Faux coronatur *orbiculo* pentagono, ſpurio, ſimiliter colorato & verrucoſo, interne ſulcis quinque descendentibus notato. *Laciniæ* ſunt ovatæ, acuminatæ.

NECTARII depreſſi *ſaccus* brevis, pallens inferne, ſuperne flavescens & in ambitu ornatus maculis decem ſubrotundis & ſanguineis. *Roſtra* flava cum baſi & apice ſanguineis, *gibboſula*, incumbentia. *Ligulæ* latæ, ſemibifidæ, planæ, patentiſſimæ, atropurpureæ.

OBSERV. Flore ope lentis verticaliter inſpecto, nectarium offert oculis ſtellam radiatam planam triplicis ſeriei, fallitque viſum; dum longe alia figura exſurgit, quando ſpectatur a latere. Idem fit in Stapelia divaricata multisque aliis.

TABULA repræſentat plantam florentem; aucta nectarium verticaliter inſpectum, idem ex latere, ſtamen, germen, & verruculam.

# STAPELIA RORIFLUA.

Stapelia corollis campanulatis, ſemiquinquefidis, intus punctatis; orbiculo nullo; roſtris gibboſis, ſtigmati in ſtellam incumbentibus; ligulis ſemibilobis, obtuſis.

RAMI plurimi, conferti, inferne radicantes, digito minimo graciliores, a tribus ad ſeptem uncias longi, glabri, pallide virentes, adultiores ſæpe levi purpura ſuffuſi, plerique ramoſi & ſubdiviſi, tantum juniores ſimplices & ſuberecti, reliqui inferne procumbentes & dein adſcendentes, tetragoni, angulis dentatis, dentibus acuminatis patulis & decuſſatis.

PEDUNCULI ſolitarii, uniflori, teretes, glabri, cum virore pallentes, patentes, pennam columbinam craſſi, unciales vel ſescunciales, orti ex bifurcatione ramorum juniorum vel ex dentium axillis.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuminata, concava, glabra, patentiſſima, pallide virentia.

COROLLA fœtidiſſima, diametri ſescuncialis, campanulata, ſemiquinquefida; ſubtus uniformiter pallide virens & ſublineata; intus ſulphurea, ſtriis ſubtiliſſimis concoloribus transverſis notata, tota adſperſa punctis ſordide purpureis; ipſo ſolo fundo læte purpureo ac hirtello, cæterum tota impubes. *Tubus* amplus, inferne incraſſatus, & ſic oculum fallens quam maxime, ac ſi hic orbiculus foret tubi parietibus accumbens, qui tamen plane deſideratur. *Laciniæ* ſunt ovatæ, acuminatæ, planæ, primo patulæ, dein patentiſſmæ, etiam cum apicibus recurvatis.

NECTARII *ſaccus* brevis, ſanguineus cum faſcia circulari flava. *Roſtra gibboſa*, inferne erecta & ſanguinea, ſuperne incumbentia ſtigmati tota, lanceolata, acuta, flava. *Ligulæ* latæ, obtuſæ, apice bilobæ, planæ, patentiſſimæ, ſupra ſanguineæ, ſubtus ſordide virentes.

OBSERV. Summa obtinet ſimilitudo nectariorum hanc inter & Stapeliam verrucoſam; ſed facile hæc diſtinguitur ab illa orbiculo ſuo & maculis verrucæformibus, quæ in illa vix ſupra faciem elevantur. Stapelia irrorata differt ex figura Maſſonis ab hac mea roriflua ligulis lanceolatis acutis & integerrimis, tum quam maxime ramis. Simul atque corolla expanſa eſt, ligulæ in ſuperficie ſua & ad oras opplentur guttis exſudantibus veluti roris, quæ tertio die evaneſcunt.

TABULA ſiſtit plantam cum floribus in diverſo ſtatu; dein nectarium integrum; aucta idem verticaliter inſpectum, tum ſic a latere, ſtamen, cornu, ſtigma & germen.

## STAPELIA DEFLEXA.

Stapelia corollis rugosis, ciliatis, centro pubescentibus; laciniis margine revolutis, totis recta deflexis; rostris subulatis; alis vix ullis.

RAMI adscendentes & erecti, glabri, digitum crassi, longiores pedales, tetragoni, angulis dentatis, dentibus erectis.

PEDUNCULI aggregati ex processu communi brevi & crasso, orti ex ramorum juniorum inferiore & media parte, glabriusculi, sescunciales, pennam columbinam crassi, uniflori, patentissimi.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, concava, patentissima, glabriuscula.

COROLLAE fœtidulæ, diametri plus quam biuncialis, profunde quinquefidæ; subtus glabræ, lineatæ, & cum virore ac rubore pallentis; intus unicoloris, sordide laccatæ, & transversis rugis sectæ; *tubus* vix ullus, & discus pubescens. *Laciniæ* lanceolatæ, acutæ, ciliatæ, ad margines revolutæ, glabræ, totæ recta & rigide deflexæ.

NECTARII *saccus* aurantiacus cum areolis quinque pallidis. *Rostra* subulata, acuminata, atrosanguinea, basi incurvata, dein recurvata, *gibbosa*. *Ligulæ* oblongæ, acutulæ, erecto-patulæ, sanguineæ, fere longitudine rostrorum.

OBSERV. Sola singulari & constante laciniarum corollæ deflexione ab omnibus mihi cognitis speciebus facile dignoscitur.

TABULA plantam repræsentat florentem: in qua flos unus, modo expansus, ante deflexionem; tum ex alia varietate, in qua color floris magis saturatus est, ramuli partem cum flore, cujus una lacinia corollæ a deflexione impeditur ab alterius floris pedunculo, in quem impingit. Dein aucta stamen, cornu, nectarium integrum, germen & stigma.

## STAPELIA GLANDULIFLORA.

Stapelia ramis tetragonis; corollis quinquefidis, planis, ſupra transverſim rugoſis piliſque clavatis ſubpellucidis denſe obtectis.

Stapelia ramis pluribus ſuberectis tetragonis, angulis dentatis, dentibus erectis acutis; corolla plana, glandulis ſetaceis clavatis tecta; laciniis ovato-lanceolatis, acutis patentibus. *Maſſ. ſtap. pag.* 16. *tab.* 19.

Stapelia corollis quinquefidis, pilis apice glanduliferis tectis; laciniis ovatis, acutis; pedunculis corolla longioribus; ramis patulis, tetragonis, basi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1284.

RAMI plures, erectiusculi, tres quatuorve uncias longi, digitum craſſi, ad lentem denſe villoſuli, ex glauco virentes, tetragoni; angulis dentatis, dentibus erectis.

PEDUNCULI plusculi aggregati ad ſeptem usque, mutuo ſuccedentes, uniflori, teretes, villoſi, purpuraſcentes, ſescunciales, patentiſſimi, ex inferiore parte ramorum juniorum orti.

CALYCIS foliola quinque, lineari-lanceolata, acuta, villoſa, purpuraſcentia, patentiſſima.

COROLLA inodora, diametri uncialis, patentiſſima, foris glabra, lineata & ſordide pallens; ſupra ſulphurea ſtriis transverſis interruptis rufis rugoſa piliſque longis clavatis albis diaphanis erectiſque tota denſiſſime obtecta. *Tubus* breviſſimus, pelviformis. *Laciniæ* ovato-acuminatæ, planæ, brevi ſemireflexæ.

NECTARII *ſaccus* ex rubro flavoque faſciatus. *Roſtra gibboſa*, ſubulata, atroſanguinea, ad gibbos incurva, hinc erecta. *Ligulæ* oblongæ, acutulæ, patentiſſimæ, ſordide flaventes utrinque, ſuperne rubore ſuffuſæ.

OBSERV. Ex Anglia hæc ſpecies in hortum botanicum noſtratem migravit.

TABULA ſiſtit plantam juvenem florentem, & petali laciniam pilis demptis, ut conſpici rugæ transverſæ poſſint. Dein aucta pilum, nectarium totum, ſtamen, cornu, ſtigma & germen.

# STAPELIA DIVARICATA.

Stapelia corollis glabris, margine revolutis, ciliatis; roſtris falcatis, gibboſis, brevibus; ligulis cuneiformibus, retuſis cum mucrone, patentiſſimis.

Stapelia ramis pluribus, tetragonis, divaricatis, glabris, dentatis; dentibus parvis, ſuberectis; corolla glaberrima, quinquefida; laciniis lanceolatis, patentibus, margine revolutis, ciliatis. *Maſs. ſtap. pag.* 17. *tab.* 22.

Stapelia corollis quinquefidis, glabris; laciniis lanceolatis, acuminatis, margine revolutis, ciliatis; pedunculis corolla longioribus; ramis tetragonis, attenuatis, divaricato-patentibus, medio floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1280.

RAMI glabri, plus minus ſemipedales, calamum vel digitum minimum craſſi, inferne ramoſi, directione varii, ſcilicet divaricati, adſcendentes, erecti vel reclinati, juniores virides & ſat profunde ſulcati, ſeniores ſæpe pallide purpurascentes & fere plani, tetragoni, angulis dentatis, dentibus parvis erectis.

PEDUNCULI ex inferiore & media parte ramorum juniorum aggregati, rariſſime ſolitarii, uniflori, teretes, glabri, pennam columbinam vix craſſi, unciales, adſcendentes, omnino numeroſi.

CALYCIS pentaphylli foliola lanceolato-linearia, acuta, glabra.

COROLLA adhucdum clauſa coſtis quinque notatur elevatis, fere inodora, quinquefida, glabra, ſubtus pallida & nervoſula, ſupra ſordide roſea, idque magis minusve pallide, nonnunquam fere albida, diametri uncialis vel biuncialis. *Tubus* nullus. Limbi *laciniæ* lanceolatæ, acutæ, ad oras revolutæ & ciliatæ, patentiſſimæ, rariſſime reflexæ.

NECTARII depreſſi *ſaccus* albidus cum angulis rubris. *Roſtra* falcata, breviſſima, *gibboſa*, inferne lutea, ſuperne ſanguinea. *Ligulæ* cuneiformes, retuſæ cum mucrone, magnæ, planæ, inferne luteæ, ſuperne ſanguineæ, horizontaliter in ſtellam patentes.

In TABULA exhibetur planta florens cum diverſis & magnitudine & colore floribus, qui vel in eadem vel in diſtinctis individuis occurrere tales ſolent, & quibus ſic in ipſa quoque patria variare plantam, Schollius mihi aſſeruit. Aucta dein nectarium totum verticaliter inſpectum: idem a latere cum avulſis ligulis; cornu pars ſuperior; ſtamen; ſtigma & germen.

## STAPELIA FISSIROSTRIS.

Stapelia corollis cuſpidatis, rugoſis, ſcabroſis, ciliatis; roſtris ſemibifidis.

RAMUS princeps ſive caulis duos cum dimidio pedes altus, digitum craſſus, tomentoſus, mollis, ſubincanus, flexuoſe erectus, debilis, paucis in decurſu ramulis ornatus, tetragonus, angulis dentatis, dentibus erectis.

PEDUNCULI in ramis junioribus aggregati, teretes, tomentoſi, patuli, uniflori, ſemunciales, penna columbina graciliores.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, villoſa, patentiſſima, ſordide virentia.

COROLLA fœtidula, clauſa cuſpidata ex baſi ſubrotunda, diametri biuncialis, ad duas tertias quinquefida, patentiſſima, foris glabra & viridula, intus ex flavo virens & tota rugis transverſis elevatis fuscisque ſcabroſa. *Tubus* amplus & brevis. *Laciniæ* lanceolato-cuſpidatæ, ciliatæ, ad oras leviſſime revolutæ, hinc ob rugas hic veluti crenulatæ, dorſo trilineatæ.

NECTARII *ſaccus* alternatim flavus & ruber. *Roſtra gibboſa*, ſanguinea, erecta, ſemibifida; laciniis ſubulatis, acutis, compreſſis. *Ligulæ* oblongæ, acutulæ, patentiſſimæ, ſordide aurantiacæ.

OBSERV. Ex ſeminibus ab hortulano Scholl adlatis unicum germinavit; hinc unica huc usque planta hujus ſpeciei habetur in horto Schönbrunnenſi, quam deſcripſi, & totam pingi curavi. Debilitas autem & longitudo caulis, ſuſtentaculo alligati, ne reclinetur aut frangatur, ſuſpicionem movent, eſſe ex natura ſua decumbentem aut reclinatum, quod ſerius ex multiplicata patebit.

TABULA totam exhibet plantam; aucta dein nectarium integrum, ſtamen, cornu, ſtigma & germen.

## STAPELIA GEMMIFLORA.

Stapelia corollis ciliatis, facie tuberculato-ſcabroſis; ligulis tripartitis, erectis; laciniis lateralibus ſubulatis, media ſublanceolata.

Stapelia ramis pluribus, erectis, tetragonis, dentatis; dentibus ſuberectis, acutis; corolla plana, ſcabra, quinqueſida; laciniis ovato-lanceolatis, margine ciliatis. *Maſs. ſtap. pag.* 14. *tab.* 15.

Stapelia corollis quinqueſidis, ſcabris; laciniis ovatis, acutis, margine ciliatis, ſuperne quinquenerviis; pedunculis longitudine corollæ; ramis erectis, tetragonis, inferne floriferis. *Wılden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1280.

RAMI glabri, virides, erecti, a tribus ad quinque uncias longi, tetragoni; angulis obtuſis, dentatis; dentibus inferne craſſis & ſubconicis, dein veluti ex articulatione ſubulatis, patentiſſimis.

PEDUNCULI ex alis dentium in parte inferiore ramorum oriuntur, uniflori, modo ſolitarii, modo bini vel terni mutuo ſuccedentes, teretes, glabri, penna columbina paulo craſſiores, biunciales, erectiusculi, virentes.

CALYCIS quinquepartiti foliola lineari-lanceolata, acuta, glabra, patentiſſima, virentia.

COROLLA fœtida, diametri duarum cum dimidia unciarum, ſemiquinqueſida, patentiſſima, plana, foris tota pallide virens & glabra, intus tota atropurpurea & denſis tuberculis ſcabra. *Tubus* campanulatus, breviſſimus. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, integerrimæ, toto margine ciliatæ, foris quinquenerviæ. Tubercula faciei ex ipſa corollæ carne oriuntur, ejusdem cum illa coloris, erecta, obtuſa, diverſæ figuræ, ſine ordine poſita, circa tubum & in eodem magis circularia, quædam apice albida.

NECTARII *ſaccus* breviſſimus, virens. *Roſtra* ſubulata, acutula, inferne erecta, dein recurvata, ex flavo ſanguineoque varia. *Alæ* ſubovatæ, obtuſæ, erectiusculæ, roſtris multo breviores, inferne cum iisdem coalitæ in unam alam, eodem modo coloratæ. *Ligulæ* erectæ, intus totæ atroſanguineæ, foris maximam partem virentes, fere longitudine roſtrorum, ultra medietatem trifidæ; lacinia media lanceolata obtuſaque, lateralibus ſubulatis acutulis & ſuperne incurvatis.

OBSERV. Eandem credo cum planta Maſſoniana, cujus forte mera varietas eſt. Scilicet elegantia ſumma dorſi variegati gemmæ floris, quæ ſpectatur in icone plantæ Maſſonianæ, deeſt plane in noſtra culta, cui ſolitus viror eſt. Sed hujus ſingularis elegantiæ nulla fit mentio in deſcriptione Maſſoniana; fit autem ciliorum, quæ in figura ſunt omiſſa culpa aut ſculptoris aut coloratoris. Neque in plantæ noſtræ flore obſervavi ſulcos illos vel lineas latas, quibus in Maſſoniana figura gaudet corollæ facies. Apud nos nec vel per lentem obſervabiles ſunt; una dumtaxat alterave lineola anguſta rarius lacinias longitudinaliter ſecante.

TABULA ſiſtit plantam florentem; aucta totum nectarium, cornuum compagem, ſtamen, cornu ſolitarium, ſtigma, & germen.

## STAPELIA HIRCOSA.

Stapelia corollis ciliatis, facie tuberculato-ſcabroſis, dorſo punctatis; ligulis tripartitis, erectis, intermedia ſublanceolata & lateralibus duplo longiore.

RAMI glabri, ex glauco virentes, erecti, ramoſi, pedales & ultra, tetragoni; angulis obtuſis, dentatis; dentibus baſi craſſis & ſubconicis, dein veluti ex articulatione longe mucronatis patentiſſimis, mucronibus in adultis deciduis.

PEDUNCULI ex inferiore parte ramorum juniorum, ex pedicello communi brevique plusculi, mutuo ſuccedentes, uniflori, teretes, glabri, pallide virentes, patentiſſimi, biunciales, fere calamum craſſi.

CALYCIS quinquepartiti foliola lineari-lanceolata, acuta, glabra, patentiſſima, virentia.

COROLLA fœtida, trium unciarum diametri, ſemiquinqueſida, patentiſſima, plana; foris tota pallide virens, glabra, quinque lines purpureis punctisque ejusdem coloris denſe obſita; intus flaveſcens, totaque tuberculis atroſanguineis circa faucem interrupta circularibus ſcabroſa. *Tubus* breviſſimus, pelviformis. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, integerrimæ, ad oras pilis purpureis ciliatæ.

NECTARII *ſaccus* brevis, flaveſcens cum faſciis quinque ſanguineis. *Roſtra* ſubulata, acuta, inferne ſanguinea, apice flava, baſi erecta, dein recurvata. *Alæ* conicæ, acutæ, erectiusculæ, roſtris duplo breviores, ex ſanguineo flavoque variæ. *Ligulæ* erectæ, acutæ, intus ex ſanguineo flavoque variæ, foris ſordide virentes cum ſuffuſa purpura; tripartitæ, laciniis lateralibus ſubulatis & longitudine roſtrorum, media ſublanceolata & duplo lateralibus longiore.

OBSERV. Fœtore hic flos forti pollet & peculiari, alieno a carne putrida; quem deſcribere verbis nequeo. Mihi quidem ad odorem hirci quam maxime accedere videtur, cum aliquo tamen aromate juncto. Sunt, qui moschi quiddam percepiſſe in illo ſe crediderunt. Proxima affinitate unitur cum Stapelia gemmiflora mea; a qua ſeparo ceu ſpeciem ſtatura ramorum proceriore, florum magnitudine, corollæ colore, alis conicis & acutis, ligularumque laciniis mediis roſtra ad duplum fere ſuperantibus. Hæc ſi cui momenta pro ſpecie ſtabilienda non ſuffecerint, per me licet ſit gemmifloræ mera varietas.

TABULA totam ſiſtit plantam florentem; aucta dein nectarium integrum, idem poſt avulſas ligulas, cornu, ſtamen, germen & ſtigma.

## STAPELIA PANICULATA.

Stapelia corollis facie hirſutis; ligulis obtuſis cum mucrone, oblongis; ramis tetragonis, dentatis.

RAMI erecti, graciles, ſemipedales et breviores, digitum minimum craſſi, purpureo-glaucescentes, tetragoni, angulis obtuſis, dentatis, dentibus ſubulatis, erectis.

PEDUNCULI ex inferiori parte ramorum, aggregati bini vel terni, teretes, villoſi, uniflori, purpurei, unciam longi.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, villoſa, patentia, purpurascentia.

COROLLA fœtida, diametri uncialis et ultra, profunde quinquefida, extus ſordide virens; intus purpurea, rugoſa, totaque pilis albis, rigidis, ſtrictis hirſuta. *Tubus* nullus. *Laciniæ* ovatæ, acuminatæ, patentes.

NECTARII *ſaccus* purpureus, maculis quinque ſemilunaribus viridibus. *Roſtra* ſubulata, elongata, recurvata, purpurea. *Alæ* breviſſimæ, conicæ, obtuſæ, purpureæ. *Ligulæ* patentes, oblongæ, obtuſæ, mucronatæ, purpureæ.

GENITALIA. *Antheræ* flavæ in filamentis purpureis. *Stigma* pentagonum, purpureum.

OBSERV. Floruit in horto Univerſitatis, ab Illuſtr. Principe Salm Dyk accepta ſub hoc nomine.

TABULA ſiſtit plantam integram florentem; dein aucta: Genitalia cum nectariis in ſitu; ligulam a facie viſam; ſtaminum par; cornu; ſtigma a ſuperiore parte viſum; germen cum perianthio.

## STAPELIA VETULA.

Stapelia corollis planis, glabris, transverſim rugoſis; roſtris ſubulatis, gibboſis; ligulis obtuſis cum acumine; ramis baſi floriferis.

Stapelia ramis pluribus, erectis, tetragonis, glabris; angulis dentatis; dentibus apice incurvatis; corolla plana, quinquefida; laciniis lanceolatis, obtuſis. *Maſs. ſtap. pag.* 15. *tab.* 16.

Stapelia corollis quinquefidis, glabris; laciniis ovatis, acuminatis, ſuperne trinerviis; pedunculis corolla brevioribus; ramis tetragonis, erectis, baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1291.

RAMI plures, erecti, glabri, ſordide virentes, ſemipedales & ultra, digitum craſſi, tetragoni, angulis dentatis, dentibus in mucronem terminatis erectiusculum vel magis incurvatum.

PEDUNCULI ex inferiore parte ramorum orti, uniflori, ſucceſſive aggregati, teretes, glabri, pallide virentes vel purpurascentes, primo erecti, dein patentiſſimi, unciales vel dimidio longiores, pennam columbinam craſſi.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra.

COROLLA adhucdum clauſa ovata & rubella. Expanſa fœtida, glabra, impubes, foris uniformiter pallens cum ſuffuſa ſordida purpura & trinervia, intus uniformiter atropurpurascens & trilineata, profunde quinquepartita. *Tubus* brevis, campanulatus, patens. *Laciniæ* lanceolatæ, in obtuſum apicem anguſtatæ, facie rugis transverſis exaratæ, planæ, patentiſſimæ, ſæpe tandem ſemireflexæ.

NECTARII *ſaccus* rubet. *Roſtra* ſubulata, longa, acuta, erecto-patula, purpurea, denticulate *gibboſa*. *Ligulæ* oblongæ, obtuſæ cum mucrone, patulæ, roſtris duplo breviores, ſordide rubentes.

FOLLICULI duo, glabri, teretes, acuti, quatuor uncias longi, erecti. *Semina* fusca cum pappo niveo.

OBSERV. Vidi etiam in hac ſpecie nonnunquam corollam ſexfidam, quem numerum tunc omnes reliquæ floris partes ſequuntur.

TABULA exhibet plantam florentem & fructescentem; ex hujus ſemine enatam plantulam ætatis quatuordecim dierum, aliam jam quadrimeſtrem, tertiamque biennem. Dein aucta nectarium, ejusdem ſaccum cum ligulis, ſtigma, cornu, ſtamen, & germen.

## STAPELIA JUVENCULA.

Stapelia corollis planis, glabris, transverſim rugoſis; roſtris ſubulatis, gibboſis; ligulis lanceolato-acuminatis; ramis verſus medium & ſuperne floriferis.

RAMI plurimi, erecti, glabri, ſordide virentes, digitum fere craſſi, adulti pedales & ultra, tetragoni, angulis dentatis, dentibus erectis.

PEDUNCULI ex media parte, ſupra mediam, imo ex apice ramorum juniorum, aggregati, teretes, glabri, plus minus unciales, patentes.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, glabra.

COROLLA plane uti in Stapelia Vetula, ſed acutior.

NECTARIUM etiam ſimile, ſed conſtanter diverſum *ligulis* ex oblonga figura lanceolato-acuminatis.

OBSERV. Ramis quam maxime luxuriat; vix dimidium enim icon numerum eorundem exprimit, dorſalibus omnibus omiſſis. Floribus etiam abundat imprimis. Tanta eſt hanc inter meam & Vetulam Maſſonis ſimilitudo, ut dubitarem diu, ſpeciesne facerem diſtinctas, an meras pronuntiarem varietates. Tandem conſtans obſervata ligularum diverſitas & contrarius pedunculorum ex ramis ortus me ad ſeparationem ſpecificam præferendam excitarunt. Propter ramorum florumque numerum vegetumque hinc habitum plantam triviali titulo Juvenculam vocavi, cum ſuam dixerit Maſſon Vetulam. Floret apud nos totam æſtatem, ex ſeminibus Capenſibus nata.

TABULA ſiſtit plantæ florentis dimidiam anteriorem partem. Aucta dein nectarium, ſtamen, cornu, germen, & ſtigma.

## STAPELIA MUTABILIS.

Stapelia corollis revolutis, margine fimbriatis; orbiculo ſolido.

RAMI erecti vel patentes, tetragoni, ſemipedales, nonnunquam pedales, digitum craſſi, ex viridi glaucescentes, glabri, in adulta numeroſi ut vix olla omnes capiat; angulis rotundatis, obtuſis, dentatis, dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI ex inferiore parte ramorum, uniflori, ſolitarii vel aggregati ad quinque, teretes, glabri, ſubunciales, patentes vel propenduli, viridescentes.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra, patentiſſima, virentia cum apicibus purpurascentibus.

COROLLA fœtida, diametri triuncialis vel paulo minor, ſemiquinquefida, utrinque glabra, foris ſordide flavo-virescens et nervis quinque in qualibet lacinia notata; intus maculis linearibus purpureis, transverſis, ad lentem hirtis et glanduloſis, in apicibus laciniarum confluentibus ſignata. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* ovatæ, acuminatæ, acutæ, margine fimbriatæ, fimbriis purpureis, diaphanis, apice complanatis, ſpatulatis; ad minimum flatum mobiliſſimis. *Orbiculus* ſolidus, elevatus, eodem modo maculatus ac laciniæ, intus ad genitalia pilis purpureis hirtus.

NECTARII *ſaccus* albus, cum maculis purpureis ad angulos. *Roſtra* clavata, obtuſa, flava cum punctis purpureis; inferius erecta, ſuperius divaricata. *Alæ* ſubulatæ, obtuſæ, roſtris duplo breviores, eodemque cum illis colore. *Ligulæ* lanceolato-oblongæ, intus ſordide e purpureo & viridi variegatæ; extus albæ, maculis purpureis; utrinque latere bidentatæ, apice obtuſiusculæ.

OBSERV. E ſeminibus enata in horto cæſareo penſili vindobonenſi, ſub cura expertiſſimi hortulani aulici Francisci Antoine.

TABULA ſiſtit plantam florentem; corollam averſam; dein aucta: orbiculum diſſectum cum genitalibus nectariisque in medio; ligulas duas variantes; cornu; ſtamina; germina nectarii ſacco incluſa; ſtigma & germina nuda.

## STAPELIA MUTABILIS VARIETAS.

RAMI erecti, pedales et ultra, digitum craſſi, glabri, virides, viridi-glaucescentes, tetragoni; angulis obtuſis, rotundatis, dentatis, dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI ex inferiori et media parte ramorum, erecti, ſubſolitarii, uniflori, ſemipollicares, teretes, viridi-purpurascentes, glabri.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, glabra, patentiſſima, & viridia, apicibus purpurascentibus.

COROLLA inodora, diametri biuncialis, utrinque glabra, ſemiquinquefida; foris ſordide viridis, nervis quinque in qualibet lacinia notata; intus viridi-flava, maculis tenuiſſimis, linearibus, transverſis, glanduloſis, purpureis, verſus apicem laciniarum confluentibus ſignata. *Tubus* nullus. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, margine fimbriatæ, brevi fere totæ revolutæ; fimbriis purpureis, diaphanis, apice complanatis, ſpathulatis, ad leviſſimum aëris motum tremulis. *Orbiculus* ſolidus, verſus lacinias declivis & applanatus, verſus genitalia crenam efformans, ſubtiliſſime purpureo punctatam.

NECTARII *ſaccus* albidus, ad baſin maculis quinque purpureis notatus. *Roſtra* clavata elongata, obtuſa, flava cum punctis purpureis, inferius erecta, ſuperius divaricata: *Alæ* ſubulatæ obtuſæ, roſtris triplo breviores, eodemque cum illis colore. *Ligulæ* oblongæ, intus ſordide ac denſe ex viridi & purpureo variegatæ; extus albidæ, maculis purpureis ad baſin & margines; apice bifidæ, laciniis oblongis, obtuſiusculis, parallelis, dente minimo interdum interjecto.

GERMINA duo ſubulata, glabra, ſtigmate pentagono, albido, angulis tridentatis flavis.

TABULA ſiſtit plantam florentem & florem ſeorſim, ex dorſo conſpectum. Aucta: laciniæ corollæ partem; genitalia cum nectariis & orbiculo transverſe ſecto; cornu cum ala; ligulam; ſtaminum par cum antheris; germina cum ſtigmate nectarii ſacco incluſa; ſtigma a ſuperiori parte viſum; germina nuda, cum calyce.

31

# STAPELIA MACULOSA.

Stapelia orbiculo ſolido; roſtris aliſque teretibus, obtuſis; ligulis trifidis; corollis ſubtus planiſſimis, ad oras ciliatis.

RAMI numeroſiſſimi, baſi imprimis ramoſi, erecti, glabri, ſemipedales & ultra, digitum craſſi, virides, adulti leviter purpuraſcentes, tetragoni, angulis dentatis, dentibus patentibus, tandem in ceſpitem denſiſſimum amplumque connati, lineolis transverſis notati.

PEDUNCULI in ramis junioribus inferne, tres quatuorve aggregati, uniflori, teretes, pennam columbinam craſſi, duas & ultra uncias longi, glabri, purpuraſcentes, debiles.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra, concava, patentiſſima, pallide virentia.

COROLLA fœtidiſſima, plus quam triuncialis diametri, ſemiquinquefida, patentiſſima, tandem ſemirevoluta; foris omnium planiſſima, cum virore pallens, ſordide ſanguineo-maculata, ſeptem lineis purpuraſcentibus longitudinaliter percurſa, glabra; intus ex flavo pallens, tota maculis transverſis oblongis ferrugineis & vix elevatis variegata, hinc nec ſtriata, nec rugoſa. Hæ maculæ verſus orbiculum magis ſanguineæ ſunt, & ad petali apices per lentem varie-denticulatæ. *Tubus* ſpurius & pelviformis, factus ab orbiculo. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, ciliatæ. *Orbiculus* ſolidus, interne hirtus, ex rubro flaventique variegatus.

NECTARII *ſaccus* ex atroſanguineo pallidoque fasciatus. *Roſtra* teretia, obtuſiſſima, erecto-recurvata, vireſcentia cum punctis ſanguineis. *Alæ* teretes, obtuſæ, eodem cum roſtris colore, iisdem paulo breviores. *Ligulæ* oblongæ, apice trifidæ, patentiſſimæ, planæ, utrinque ex viridi pallentes, punctisque atroſanguineis adſperſæ.

OBSERV. Ad nos ex Angliæ hortis adlata eſt ſub titulo dato jam anno hujus ſeculi ſecundo; & ſeptimo prima vice copioſe floruit. Maculæ dorſales corollæ quibusdam in individuis plane deficiunt.

TABULA ſiſtit plantæ florentis partem, ſegmentum verticale orbiculi. Dein aucta nectarium totum, ligulam ex dorſo conſpectam, ſtamen, cornu, ſtigma, germen, & fruſtulum ex ſummitate laciniæ petali.

## STAPELIA CONSPURCATA.

Stapelia orbiculo ſpurio; corollis planis; ad margines cartilagineo-ciliatis.

Stapelia corollis quinquefidis, rugoſis, planis, glabris, margine pilis clavatis ciliatis; fundo orbiculato, tumido; coronæ exterioris laciniis bifidis; cornibus binis, divergentibus, interioribus clavatis, exterioribus ſubulatis obtuſis. *Wilden. hort. berol. pag.* 284.

RAMI plurimi, cespitoſi, baſi ramoſi, glabri, cum virore glaucescentes, erectiusculi vel patentes, tetragoni, dentati dentibus rigidis & patentiſſimis, adulti ad quatuor uncias longi et vix digitum craſſi.

PEDUNCULI ſolitarii, uniflori, ex infima ramorum parte, teretes, glabri, pallide purpurascentes, pennam columbinam craſſi, ſescunciales, horizontales.

CALYCIS foliola quinque, ovata, acuta, concava, patentiſſima, glabra, parva, ſordide virentia.

COROLLA fœtida, planiuscula, patentiſſima, diametri fere biuncialis, ſemiquinquefida, intus flaveſcens tota cum maculis confluentibus purpureo-fuscis, foris ſordide pallens & lineata, pilis veris deſtituta. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, ſupra margines villis cartilagineis obtuſis albis erectis & parum oculo nudo conſpicuis ciliatæ. *Tubus* vix ullus. *Orbiculus* ſpurius, punctatus, laciniis concolor.

NECTARII *ſaccus* ex albido ſanguineoque varius. *Roſtra* teretia, clavata, erecta, ſuperne recurvata, pallide virentia, tota punctis ſanguineis adſperſa. *Alæ* teretes, obtuſæ, ſubcapitatæ, rectæ, patentes, roſtris breviores, ſimiliter coloratæ. *Ligulæ* oblongæ, planæ, ad unam tertiam partem bifidae, obtuſulae, patentiſſimæ, longitudine alarum, ſupra flaveſcentes; ſubtus baſi cruentæ, dein purpureæ, laciniis pallidis; his utrinque ſanguineo-punctatis.

OBSERV. Wildenovius in Horto ſuo Berolinenſi primus hujus plantæ meminit; & ex illo nos habuimus. Quare autem *conſpurcatam* vocaverit, nec ille nobis indicavit, nec ego capio.

TABULA ſiſtit plantam florentem; dein aucta laciniæ petali partem cum margine dentato, roſtrum, ſtamen, nectarium totum, ligulæ laciniam ex dorſo viſam, ſtigma & germen.

## STAPELIA TRISULCA.

Stapelia orbiculo ſpurio; roſtris teretibus, ſubclavatis; alis ſubulatis, obtuſis, longitudine roſtrorum; ligulis bifidis cum denticulo medio minimo; corollis planiſſimis.

RAMI numeroſi, baſi ramoſi, erecti aut adſcendentes, glabri, ſulcato-quadrangulares, pallide virentes, digitum minimum craſſi, tandem ſemipedales, angulis dentatis, dentibus patentiſſimis innocuis.

PEDUNCULI in parte ramorum inferiore, ſolitarii, teretes, uniflori, glabri, unciam & ultra longi, virides, patentiſſimi, pennam columbinam craſſi.

CALYCIS foliola quinque, ovata, concava, acuminata, acuta, patentiſſima, pallide virentia.

COROLLA fœtidiſſima, diametri unciarum duarum cum dimidia, ſemiquinquefida, patentiſſima et planiſſima; dorſo glabra, lineata, cum flavedine pallens & purpureo colore partim ſuffuſa, baſique punctata; facie flava & tota quanta transverſe rugoſa, maculis nigro-purpureis elevatisque obſita. *Laciniæ* ovatæ, acuminatæ. *Tubus* verus nullus. *Orbiculus* ſpurius, flavescens cum maculis purpureis.

NECTARII *ſaccus* ex albido ſanguineoque varius. *Roſtra* teretia, ex baſi adſcendente erecta, apice clavata, viridia, punctis ſanguineis adſperſa. *Alæ* teretes, obtuſæ, erectæ, longitudine roſtrorum, ut roſtra maculata. *Ligulæ* oblongæ, apice bilobæ cum denticulo intermedio, patulæ, roſtris duplo breviores, ſimiliter coloratæ.

PISTILLUM. Germen viride cum punctulis ſanguineis.

OBSERV. Sub hoc nomine ex Anglia ſæpius accepimus.

In tabula ſiſtitur: planta florens, cum flore ex adverſa parte, dein aucta; orbiculus diſſectus cum genitalibus & nectariis in medio, ligula, cornu, ſtamina, germina in nectarii ſacco incluſa, ſtigma & germina nuda.

## STAPELIA CLYPEATA.

Stapelia orbiculo ſpurio; ligulis ſemibifidis, laciniis oblongis, acutis, ſuperne divergentibus.

RAMI plurimi, aggregati, baſi duntaxat ramoſi, glabri, virides, erecti aut adſcendentes, digito minimo graciliores, triunciales, tetragoni, angulis dentatis, dentibus acutis patentiſſimis & mollibus.

PEDUNCULI ex ramorum inferiore parte, uniflori, plerumque ſolitarii, teretes, glabri, pallide virentes, patentiſſimi, fere calamum craſſi, unciales.

CALYCIS foliola quinque, ovata, acuta, glabra, patentiſſima, pallide virentia.

COROLLA fœtida, diametri unciarum duarum cum dimidia, ſemiquinquefida, impubes; fere tota quanta flavens maculisque atroſanguineis adſperſa; ſubtus cum virore pallens & lineata. *Tubus* pelviformis, patentiſſimus. *Laciniæ* limbi ovato-acuminatæ, patentiſſimæ. *Orbiculus* ſpurius, ex duplicatura faucis ortus, coloratus & maculatus uti laciniæ ſed maculis multò minoribus.

NECTARII *ſaccus* baſi atroſanguineus, ſuperne albidus cum maculis decem ſubrotundis. *Roſtra* teretia, recurvata, flaveſcentia cum punctis ſanguineis, capitato-obtuſa. *Alæ* colore & forma roſtris ſimiles, ſed rectæ & patentes. *Ligulæ* oblongæ, planæ, ſemibifidæ cum denticulo medio; laciniis punctatis, acutis, ſuperne divergentibus.

OBSERV. Ex Anglia in hortum botanicum ſub dicto titulo aliquoties miſſa fuit; et apud nos prima vice anno 1810. menſe Octobri floruit. Quare nomen hoc illi datum ſit, non conjicio.

In TABULA repræſentatur planta florens; deinde aucta nectarium totum, ſtamen, roſtrum cum ala, ligula ex dorſo conſpecta, piſtillum et germen.

## STAPELIA BUFONIA.

Stapelia orbiculo ſpurio; roſtris teretibus, obtuſis; alis filiformibus, obtuſis, patentiſſimis; ligulis bifidis, obtuſis; corolla ſubtus plana; tubo nullo.

RAMI numeroſi, ramoſi, glabri, virides, ſeniores glaucescentes & digitum minimum craſſi, a duabus ad ſex uncias longi, adſcendentes vel reclinati, etiam erectiusculi, tetragoni, angulis dentatis, dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI ex ramorum juniorum axillis ſolitarii, uniflori, teretes, glabri, patentiſſimi, pallide virentes, biunciales, pennam columbinam craſſi.

COROLLA fœtidiſſima, diametri duarum cum dimidia unciarum, ſemiquinquefida; foris cum virore pallens, nervis rufis elevatis notata, glabra; intus tota ſordide flava, maculis adſperſa nigris, ſtriisque transverſis ejusdem coloris rugoſa. *Tubus* nullus. *Laciniæ* ovatæ, acuminatæ, planæ, patentiſſimæ, dein ſemirevolutæ. *Orbiculus* ſpurius, tuberculis ſcaber, ſimiliter maculatus.

NECTARII *ſaccus* totus atropurpureus. *Roſtra* teretia obtuſiſſima, virentia cum maculis ſanguineis, erecta & ſuperne recurvata. *Alæ* filiformes, graciles, obtuſæ, rectæ, patentiſſimæ, ejusdem cum roſtris coloris, quibus paulo breviores. *Ligulæ* oblongæ, apice bifidæ, patentiſſimæ, pallide virentes, baſi ex rufo & ſuperne ex atroſanguineo punctatæ; laciniis oblongis, obtuſis, parallelis.

TABULA exhibet plantam florentem; & aucta nectarium, ligulam ex dorſo viſam, ſtamen, cornu, ſtigma, & germen.

## STAPELIA BUFONIA. VARIETAS.

OBSERV. In horto botanico Vindobonenſi anno 1809. primo floruit; neſcitur unde aut a quo introducta. Genitalibus plane congruit cum Stapelia bufonia faſciculi primi, ut ſuperfluum duxerim illorum analyſin hic exponere. Nec ab eadem differt ramis; unde pro ipſius mera varietate habui. Color floris longe alius eſt; qui eo difficilius verbis exprimitur, quo evidentius ex utriusque figuræ inſpectione & comparatione dijudicari poteſt.

## STAPELIA ANGUINEA.

Stapelia orbiculo ſpurio; roſtris alisque clavatis; ligulis ſemibifidis; corolla ſubtus planiſſima; tubo nullo.

ORBEA ANGUINEA. Orbe magno, ligulis ſemipartitis. *Haworth Synopſis plant. ſucculent. pag.* 41.

RAMI plurimi, adscendentes aut erecti, glabri, pallide virides, ad dentes purpurascentes, adulti digitum minimum craſſi, tres quatuorve uncias longi, ſulcato-quadrangulares, angulis dentatis, dentibus ſubulatis, patentiſſimis.

PEDUNCULI ex medietate ramorum, ſolitarii, uniflori, teretes, glabri, purpurascentes, deflexi, biunciales, pennam columbinam craſſi.

CALYCIS foliola quinque, ovata, concava, acuta, glabra, purpurascentia, viridia, patentiſſima.

COROLLA fœtida, duarum unciarum in diametro, ſemiquinquefida, patentiſſima, et tandem revoluta; dorſo planiſſima, pallide flavo-virescens, glaberrima, lineata; facie ſulfurea, maculis purpureo-nigris confluentibus adſperſa. *Laciniæ* ovatæ, acuminatæ, in adultis revolutæ, ſtriis transverſis rugoſæ. *Tubus* nullus. *Orbiculus* ſpurius, interne tuberculatus, ſulfureus, in fundo et ad marginem purpureo-maculatus ut laciniæ.

NECTARII *ſaccus* purpureus. *Roſtra* elongata, clavata, ſuperne recurvata, pallide virentia, punctis ſanguineis adſperſa. *Alæ* patentes, apice clavatæ, roſtris paullo breviores, ſimiliter coloratæ. *Ligulæ* oblongæ, ad medietatem bifidæ, laciniis erectis, obtuſis, roſtris paullo breviores; facie virentes punctisque purpureis adſperſæ; dorſo baſi purpureæ, apice virentes purpureo maculatæ.

TABULA repreſentat: plantam florentem; aucta dein: genitalia cum orbiculo diſſecto; ligulam a dorſo viſam; cornu; ſtamina; germen cum perianthio; ſtigma.

# STAPELIA MARMORATA.

Stapelia orbiculo ſpurio; roſtris alisque teretibus, obtuſis; alis erectis; ligulis bifidis; corolla rugoſa; ramorum dentibus erectis, obtuſis cum mucrone, decurrentibus.

RAMI numeroſi, ramoſi, digitum minimum craſſi, tandem pedales, glabri, glauci, juniores adſcendentes, ſeniores procumbentes, tetragoni; dentibus approximatis, obtuſiſſimis cum mucrone, erectis, protuberantibus, & decurrentibus ac ſi forent imbricati.

PEDUNCULI ex ramorum juniorum bifurcatione ſolitarii, teretes, glabri, penduli, pallentes, ſescunciales, pennam columbinam craſſi.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, pallida, patentiſſima.

COROLLA fœtidiſſima, impubes, plana, patentiſſima, ſemiquinquefida, diametri biuncialis; foris cum virore pallens & obſoletius lineata; intus tota ſanguineo-atra cum venulis percurſantibus ſulphureis, ſtriis transverſis rugoſa ſcabridaque. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* ſemiovatæ, acutulæ. *Orbiculus* ſpurius, tuberculatus, ſcabridus, ex atroſanguineo ſulphureoque variegatus.

NECTARII *ſaccus* ſanguineo-ater. *Roſtra* teretia, obtuſiſſima, ex viridi atroſanguineoque maculata, erecta, ſuperne recurvata. *Alæ* teretes, obtuſæ, roſtris duplo breviores, ſimiliter coloratæ, rectæ, erectæ. *Ligulæ* oblongæ, apice bifidæ rectæque, obtuſæ, patentiſſimæ, utrinque ſulphureæ & ſuperne maculis atroſanguineis adſperſæ, intus fascia media ſanguinea inſignitæ, foris baſi atroſangineæ.

OBSERV. Oculo non armato facies corollæ marmor nigrum æmulatur venulis flaveſcentibus percurſum; unde nomen triviale deſumpſi. Ramorum angulis quam maxime diſtinguitur ab affinibus. Ex ſeminibus Schollianis enata fuit, & anno 1806. prima vice floruit.

In TABULA repræſentantur plantæ florentis pars dimidia; aucta nectarium totum, ligula a tergo viſa, cornu, ſtigma, germen, & lacinia petali.

## STAPELIA PLANIFLORA.

Stapelia orbiculo ſpurio; roſtris teretibus, obtuſis; alis ſubulatis, obtuſis, patentibus; ligulis bifidis; corolla ſubtus planiſſima; tubo nullo.

RAMI plurimi, ramoſi, adſcendentes vel reclinati vel erectiusculi, glabri, pallide virentes, adulti digitum minimum craſſi & quatuor vel quinque uncias longi, ſulcato-quadrangulares, angulis dentatis, dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI ad ramulorum juniorum diviſiones, ſolitarii vel gemelli, uniflori, teretes, glabri, purpurascentes, patentiſſimi, biunciales, pennam columbinam craſſi.

CALYCIS foliola quinque, ovata, concava, acuta, glabra, ſordide pallentia, patentiſſima.

COROLLA fœtida, diametri unciarum duarum cum dimidia, ſemiquinqueſida, patentiſſima; dorſo omnium planiſſima ſine ullo tubi veſtigio, ex ſulphureo pallens, glaberrima, lineata; facie tota quanta flava maculisque purpureo-nigris nec elevatis adſperſa. *Laciniæ* ovatæ, acuminatæ, planæ, cum disco transverſis ſtriis rugoſæ, patentiſſimæ, tandem ſemirevolutæ. *Tubus* verus nullus. *Orbiculus* ſpurius, interne tuberculis ſcaber, cæterum coloratus & maculatus uti laciniæ.

NECTARII *ſaccus* ex albido ſanguineoque varius. *Roſtra* teretia, erecta, ſuperne recurvata, pallide virentia, obtuſa, tota punctis ſanguineis adſperſa. *Alæ* ſubulatæ, obtuſulæ, rectæ, patentes, roſtris breviores, ſimiliter coloratæ. *Ligulæ* oblongæ, bifidæ, patentiſſimæ, obtuſulæ, fere longitudine roſtrorum, facie virentes cum fascia media inferne ſanguinea laciniisque ſanguineo-punctatis, dorſo ex pallido ſanguineoque variæ.

In TABULA repræſentantur planta florens; flos ſemirevolutus a latere viſus; diſſecta verticaliter corolla, ut hujus planities & orbiculi figura pateant; dein aucta nectarium, ligula a dorſo viſa, ſtamen, cornu, germen, & ſtigma.

## STAPELIA RUGOSA.

Stapelia orbiculo ſpurio, depreſſo, in ambitu quinquecrenato; roſtris alisque teretibus, obtuſis; ligulis trifidis; tubo corollæ nullo.

RAMI numeroſi, ramoſi, declinati vel adſcendentes, rarius erectiusculi, glabri, virides, ſemipedales & ultra, juniores calamum, adulti vix digitum minimum craſſi, tetragoni, angulis dentatis, dentibus patentibus.

PEDUNCULI in ramis junioribus inferne, ſolitarii, uniflori, teretes, pennam columbinam craſſi, biunciales, debiles, glabri, pallide virentes.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra, concava, patentiſſima, pallide virentia.

COROLLA fœtidiſſima, triuncialis diametri, ſemiquinquefida, patentiſſima; foris planiſſima, cum virore pallens, lineata, glabra; intus tota ſtriis transverſis flavis atroſanguineisque rugoſa, maculisque præterea parvis atroſanguineis adſperſa. *Tubus* omnino nullus. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, planæ, tandem ſemirevolutæ. *Orbiculus* ſpurius, depreſſus nec ſemicircularis, margine per crenas quinque intropreſſas ſubquinquelobus, atroſanguineus tuberculisque flavis totus exaſperatus.

NECTARII *ſaccus* ex atroſanguineo pallidoque varius. *Roſtra* teretia, obtuſiſſima, erecto-recurvata, flaveſcentia cum punctis ſanguineis. *Alæ* teretes, obtuſæ, erectæ, ejusdem cum roſtris coloris, iisdem breviores. *Ligulæ* oblongæ, apice dentibus lanceolatis & acutis trifidæ, patentiſſimæ, planæ, utrinque ex flavo pallentes & ſanguineo colore varie tinctæ.

TABULA plantam exhibet florentem, & ſegmentum verticale corollæ, ut orbiculi pateat figura. Dein aucta nectarium totum, ligulam ex dorſo conſpectam, ſtamen, cornu, ſtigma, & germen.

## STAPELIA NORMALIS.

Stapelia corollis quinquefidis quadrifidisve; orbiculo spurio; roſtris alisque teretibus; ligulis bifidis trifidisve; maculis corollæ normalibus.

RAMI plurimi, ramosi, declinati vel adſcendentes, glabri, virides, a quatuor ad decem uncias longi, adulti vix digitum minimum craſſi, tetragoni, angulis dentatis, dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI ex inferiore parte ramorum juniorum plerumque ad diviſiones, ſolitarii, uniflori, teretes, glabri, patentiſſimi, ſescunciales, pennam columbinam craſſi.

CALYCIS foliola ovata, acuta, glabra, pallide virentia, patentiſſima.

COROLLA fœtida, diametri biuncialis & ultra, ſubplana, patentiſſima, ſemidiviſa; foris ex ſulphureo pallens, lineata, glabra; intus tota flava, transverſim ſtriata, maculisque adſperſa atroſanguineis & per ſeries longitudinales parallelas normaliter ordinatis. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* quatuor vel quinque, ovatæ, acutæ, planæ. *Orbiculus* ſpurius, tuberculatus, ſimiliter coloratus.

NECTARII *ſaccus* brevis, albidus, basi circulo & superne maculis duabus vel tribus ſanguineis notatus. *Roſtra* teretia, obtusa, erecta, ſuperne recurvata, virentia, ſanguineo-punctata. *Ligulæ* oblongæ, obtuſæ, apice bifidæ, ſæpe cum intermedio denticulo minuto, patentiſſimæ, viridulæ, utrinque punctis atropurpureis adſperſæ, ad baſin ſanguineæ.

FOLLICULI glabri, digitum craſſi, fere uncias quatuor longi, erectiuſculi.

OBSERV. Ex ſeminibus Capenſibus enatæ plantæ ſexto demum ætatis anno primos flores dederunt. In una planta corollæ omnes erant quadrifidæ, quæ in tabula ſiſtitur; in aliis & quadrifidæ & quinquefidæ; ſubſequo anno etiam in illa erant quinquefidæ; ut hic merus ſit naturæ luſus. A Stapelia variegata imprimis diſtinguitur ſitu normali macularum corollæ.

TABULA plantam florentem ſiſtit cum floribus quadrifidis, fructum, ramulum cum flore quinquefido; deinde aucta illius nectarium, ligulam a dorſo conſpectam, ſtamen, cornu, germen & ſtigma.

## STAPELIA LEPIDA.

Stapelia orbiculo ſpurio; roſtris teretibus, obtuſis; alis conico-ſubulatis, acutis, patentiſſimis; ligulis retuſis, obtuſis.

RAMI plurimi, quaquavorſum dejecti, quidam adſcendentes, glabri, virides, ramoſi, vix digitum minimum craſſi, dimidium vel & pedem longi, tetragoni, angulis dentatis, dentibus acutis patentiſſimis.

PEDUNCULI ex ramorum juniorum inferiore vel media parte, ſolitarii, rarius gemelli, uniflori, teretes, glabri, patuli, ſescunciales, vix pennam columbinam craſſi.

CALYCIS foliola, ovata, acuta, concava, glabra, brevia, patentiſſima.

COROLLAE diametri ſescuncialis, fœtentis, ſemiquinquefidæ in *lacinias* ovatas acutas, patentiſſimæ, fere planæ, foris pallide virentis & lineatæ, intus ſulphureæ cum punctis ſordide ſanguineis, fundus ad marginem elevatur in *orbiculum* ſpurium ſubpentagonum albumque cum punctis ſaturate rubris.

NECTARII *roſtra* ſunt teretia, obtuſa, erecta, ſuperne recurvata, virentia cum punctis atroſanguineis. *Alæ* ſunt conico-ſubulatæ, acutæ, virides, impunctatæ, breves, horizontaliter patentes. *Ligulæ* oblongæ, planæ, retuſæ, obtuſæ, ex viridi pallentes cum faſcia media abrupta ſanguinea, patentiſſimæ.

OBSERV. Habitu hæc tantopere Stapeliæ variegatæ ſimilis eſt, ut diſtingui, niſi floreat, non poſſit. Sed flos multo minor eſt, & alæ atque ligulæ differunt conſtanter. Ex ſeminibus Schollianis provenit.

TABULA exhibet plantæ florentis partem. Dein aucta nectarium totum, cornu & germen.

# STAPELIA GLAUCA.

Stapelia corollis quinquefidis; laciniis ovatis, acutis, fimbriatis, revolutis; roſtris clavatis; ramis tetragonis; angulis obtuſis & rotundatis.

RAMI erecti, tandem bipedales & ultra, pollicem craſſi, glabri, rore glauco & ſubcærulescente toti ſuffuſi, nonnunquam ex eadem reptante ſub terra radice pluſculi, tetragoni, rarius hexagoni; angulis rotundatis, craſſis, obtuſis, dentatis; dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI ex ſuperiore parte ramorum aggregati, mutuo ſuccedentes, plerumque ex tuberculo ſive pedunculo communi brevi craſſoque, teretes, glabri, uniflori, patentiſſimi, a tribus ad ſex uncias longi.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra, patentiſſima, fuscescentia.

COROLLA fœtidiſſima, diametri biuncialis, foris ſordide virens & ſtriata, intus ſordide & ſaturate ſanguinea cum fundo pallente, ſemiquinquefida. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, fimbriatæ, cæterum glabræ, brevi fere totæ revolutæ. *Fimbriæ* ſunt capillares, ſuperne in laminam ſpathulatam planam abeuntes, ipſam inferne ſæpius pilis minutis capitatis utrinque ciliatam, totæ purpureæ, ad leviſſimum vel halitum mobiliſſima & trepidantia.

NECTARII *ſaccus* purpurascit. *Roſtra* ſunt clavata, obtuſa, flavescentia cum punctis rubris, erecta inferne, dein patentiſſima. *Alæ* ſubulatæ, breves, acutæ, patentiſſimæ, purpureæ. *Ligulæ* fere quadratæ, retuſæ, atroſanguineæ, patentiſſimæ.

FOLLICULI recti, acuti, quadriunciales, fusci, glabri.

OBSERV. Diu hanc plantam dubitanter prò Maſſonis Stapelia revoluta habui; ſed tandem vicit discrimen; quod in corollis antice conſpectis manifeſtum eſt; notabilius in ramis, qui in revoluta deſcribuntur acuti, cujusmodi etiam cum ſulcis profundis depinguntur in figura Maſſoniana, quod contrarium obtinet in hac glauca mea. Unde ceu novam ſpeciem propono.

TABULA repræſentat quatuor plantas, quarum tres priores radice reptante cohærent, quarta crescit ſola. Secunda ſine flore ſuperne præter morem quinque novellos ramulos promit. Tres reliquæ florent. Tertia præterea ramum profert hexagonum fructescentem, ferme maturum. Dein aucta unam fimbriam, nectarium totum verticaliter inſpectum, idem viſum lateraliter, roſtrum, ſtamina, germen, & ſtigma.

## STAPELIA REVOLUTA.

Stapelia corollis quinquefidis; laciniis ovatis, acutis, fimbriatis, revolutis; roſtris clavatis; ligulis apice tridentatis; ramis tetragonis.

Stapelia ramis tetragonis, erectis, denticulatis; dentibus patentibus; corolla glabra; laciniis ciliatis, acutis, revolutis. *Maſſ. ſtap. pag.* 12. *tab.* 10.

Stapelia corollis quinquefidis, glabris; laciniis ovatis, margine piloſis, revolutis; pedunculis corolla brevioribus; caule tetragono, basi ramoso, erecto, ſuperne florifero. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1277.

RAMI a dimidio ad duos pedes alti, digitum vel pollicem craſſi, glabri, rore glauco & ſubcæruleſcente toti ſuffuſi, erecti; ramulis etiam erectis, vel patulis, vel divaricatis; tetragoni; angulis dentatis; dentibus patentiſſimis.

PEDUNCULI fere ſemper aggregati plusculi, teretes, glabri, vix ſemunciales, uniflori, patentiſſimi.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra, patentiſſima, ſordide purpuraſcentia.

COROLLA fœtidiſſima, diametri biuncialis, ſemiquinquefida. *Tubus* breviſſimus, utrinqne pallens & glaber. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, planæ, ad oras fimbriatæ, cæterum glabræ, brevi revolutæ, foris ſordide virentes & purpureo-lineatæ. *Fimbriæ* uti in Stapelia glauca.

NECTARII *ſaccus* ſordide pallet, infra ligulas coronata circulo punctato aurantiaco. *Roſtra* ſunt clavata, obtuſa, ſordide purpuraſcentia cum punctis ſanguineis, inferne erecta, dein incurvata, ſuperne recurvata. *Alæ* oblongæ, obtuſulæ, purpureæ, patentes, breves. *Ligulæ* ſubquadratæ, dorſo & ſupra baſi flaveſcentes, cæterum atroſanguineæ, apice truncato acute tridentatæ.

OBSERV. Ob easdem rationes, ob quas Stapeliam glaucam meam a Stapelia Maſſonis revoluta ſeparavi, etiam ab eadem hanc ſeparare debuiſſem, & habere forſitan pro ſola glaucæ varietate; nam discrimen momenti majoris obſervo unicum in ligulis, quarum apex truncatus in glauca mea retuſus ſive obtuſe bidentatus eſt, in altera acute tridentatus. Hæc non fuit inter adlatas Schollianas, ſed his demum poſterioribus annis ex Anglia in plures hortos Viennenſes transmigravit ſub titulo Stapeliæ revolutæ Maſſonis. Si ergo credunt Angli, hanc eſſe revolutam, ſit illa, donec aliud doceamur.

TABULA repræſentat tres individuas plantas florentes; aucta deinde nectarium totum verticaliter inſpectum, idem viſum a latere, ſtamen, roſtrum, ſtigma & germen.

## STAPELIA FUSCATA.

Stapelia corollis quinquefidis; laciniis ovatis, acuminatis, fimbriatis, revolutis; roſtris clavatis; alis teretibus; angulis obtuſis, rotundatis.

RAMI erecti, pedales et ultra, pollicem craſſi, glaucescentes, tetragoni; angulis obtuſis, dentibus ſubulatis, patentibus.

PEDUNCULI ex inferiori parte ramorum, aggregati, ſucceſſive florentes, teretes, glabri, uniflori, ſeſquiunciam longi.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabriuscula, patentiſſima, viridia.

COROLLA fœtida diametri triuncialis, ſemiquinquefida; extus ſordide vireſcens; intus tota ſordide ſanguineo-fusca. *Tubus* breviſſimus. *Laciniæ* ovatæ, acuminatæ, glabræ, margine pilis ſpathulatis purpureis mobiliſſimis tremulis fimbriatæ, tandem revolutæ.

NECTARII *ſaccus* pallide et ſordide virens. *Roſtra* elongata clavata, erecta, divergentia, rubeſcentia cum punctis ſanguineis. *Alæ* teretes, roſtris dimidio breviores, obtuſæ, ſuberectæ, ejusdem coloris ac roſtra. *Ligulæ* patentes, oblongæ, atropurpureæ, apice tridentatæ.

OBSERV. Floruit in horto penſili urbico palatii cæsarei.

TABULA ſiſtit plantam florentem; dein aucta: Genitalia cum nectariis et ſectione corollæ; ligulam a dorſo viſam; ſtamina; cornu; germen cum perianthio et ſtigmate, tandem fimbriam laciniarum.

# STAPELIA ASTERIAS.

Stapelia corollis margine ciliatis & canaliculato-revolutis, facie inferne lucidis & ſuperne transverſim rugoſis; roſtris aliſque oblongis, obtuſis.

Stapelia ramis pluribus, erectis, tetragonis, dentatis; dentibus brevibus, erectis; corolla magna, quinquefida; laciniis lanceolatis, margine revolutis, ciliatis. *Maſs. ſtap. pag.* 14. *tab.* 14.

Stapelia corollis quinquefidis; laciniis ovato-acuminatis, rugoſis, margine revolutis villoſis; pedunculis longitudine corollæ; ramis erectis, tetragonis, attenuatis, baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1280.

RAMI erecti, pollicem craſſi, a ſex ad decem uncias longi, minutim villoſi, hinc molles ad tactum, pallide virentes, tetragoni cum angulis gracilibus, rarius hexagoni cum angulis craſſis & rotundatis, angulis dentatis, dentibus brevibus erectis.

PEDUNCULI ſemper a me viſi ſolitarii, ſimpliciſſimi, uniflori, teretes, villoſi, purpurascentes, patentes, unciales, pennæ columbinæ craſſitie.

CALYCIS foliola lanceolato-linearia, acuta, villoſa, patentiſſima.

COROLLA fœtidiſſima, diametri quadriuncialis, profunde quinquefida; ſubtus pallens cum ſuffuſa purpura, lineata & villoſula; ſupra atroferruginea, glabra, inferne lucida, ſuperne rugis transverſis viridulis ſulphureisque variegata, ſemper in ſtellam patentiſſima. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* lanceolatæ, acutæ, apice rectæ vel obliquæ, pilis purpureis ciliatæ, qui non marginem ſolum ipſum occupant, ſed etiam limbum margini vicinum, unde in corollis ad oras quam maxime & fere in cylindrum revolutis tamen etiam antice pili conſpiciuntur.

NECTARII *ſaccus* rubet totus. *Roſtra* ſunt ex lineari oblonga, compreſſa, obtuſa, integerrima, erecto-patula, rufescentia. *Alæ* ejusdem cum roſtris figuræ coloris & directionis, ſed duplo latiores, paulo breviores, & ſæpe apice paucidentatæ. *Ligulæ* oblongæ, obtuſæ, patentes, ruſæ, roſtris duplo breviores.

FOLLICULI ſubulati, digitum minimum craſſi, ſemipedales, erecti, villoſi.

TABULA exhibet plantam florentem cum floribus ſexpartitis, altero jam revoluto, altero revolvi incipiente; cumque uno ramo hexagono; folliculos nondum maturos; & aucta ex flore quinquepartito partem centralem anticam floris cum laciniis truncatis, nectarium totum, cornu, ſtamina, ſtigma, & germen.

## STAPELIA STELLARIS.

Stapelia corollis baſi planiusculis, margine ciliatis & revolutis; roſtris ſubulatis, ſuperius triquetris; alis oblongis emarginatis; ligulis oblongis, apice tridentatis.

RAMI erecti, pollicem craſſi, a tribus ad ſeptem uncias longi, obſolete villoſuli, hinc molliusculi ad tactum, pallide virentes, tetragoni cum angulis dentatis, dentibus brevibus erectis.

PEDUNCULI ſolitarii, uniflori, teretes, pubescentes, pennam columbinam craſſi, ſesquipollicares, erecti, cum virore purpurascentes, ex media parte ramorum juniorum orti.

CALYCIS foliola lanceolata, acuta, patentiſſima, pubescentia, apice purpurascentia.

COROLLA fœtida trium unciarum diametro, quinquefida cum ſinubus obtuſis, ad marginem pilis purpureis ciliata, ſubtus pallide virens, facie atropurpurea. *Tubus* pelviformis, fauce hirſutula, pilis tenuiſſimis purpureis. *Laciniæ* ex baſi ovata lanceolato-acuminatæ, inferne planiusculæ, cæterum ad oras revolutæ, apice reflexæ, dorſo glabræ lineisque exaratæ quinis, facie rugis transverſis inæquales ſulcisque tribus longitudinalibus obſoletis notatæ.

NECTARII *ſaccus* pentagonus, ex purpureo flavoque varius. *Roſtra* ſubulata, verſus apicem ſubtrigona, in ſpiram torta, erecta, atropurpurea cum apicibus flavis. *Alæ* ejusdem coloris, oblongæ, bidentatæ, patulæ, roſtris duplo breviores. *Ligulæ* oblongæ, tridentatæ, alis paulo breviores, patulæ, cum ſummitatibus reclinatis.

OBSERV. Hæc planta jam a plurimis annis e ſeminibus capenſibus in horto vindobonenſi univerſitatis enata, viguit floruitque. Nomen triviale *ſtellaris* interim impoſueram, quod minus placebat, donec aptius occurreret. Brevi tamen cum hoc nomine in Angliam transmiſſa fuit, iterumque ſub eodem nomine ceu novam ſpeciem accepimus. Nomen itaque conſuetudine firmatum et jam in catalogis evulgatum retinendum cenſui.

TABULA ſiſtit plantam florentem; dein aucta: corollam medio ſectam, cum genitalibus nectariisque, ligulam, cornu, ſtamina, germina cum ſtigmate in ſacco nectarii incluſa, ſtigma, germina denudata.

# STAPELIA COMATA.

Stapelia corollis ciliatis, disco plano & in facie hirſutiſſimo, cæterum glabris & transverſim rugoſis; laciniis ſubconvexis, primo totis deflexis, tandem patentiſſimis; roſtris ſubulatis, acutis, a baſi ad medietatem usque in alam excurrentibus erectam ſubtruncatam & apice dentatam.

RAMI erecti, ad lentem villoſuli, molles, digitum craſſi, ſemipedem plus minus longi, ſordide virentes, ſulcato-tetragoni; angulis dentatis, dentibus erectis.

PEDUNCULI ex ramorum inferiore parte, teretes, villoſuli, patentiſſimi, pennam columbinam craſſi, biunciales, uniflori, plerumque ſolitarii.

CALYCIS foliola quinque, lanceolato-linearia, acutula, ad lentem villoſula, patentiſſima, ſordide virentia.

COROLLA fœtida, diametro tres uncias æquans, quinquepartita; foris lineata, glabra, ex flavo pallens, cum ſuffuſa verſus apicem nigredine; disco plano, facie toto pilis purpureis denſiſſime comato. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* lanceolatæ, acutæ, pilis rubris albisque ciliatæ, cæterum glabræ, facie ad oras & apicem atropurpureæ, ſtriisque transverſis flavis ſanguineisque rugoſæ, parum convexæ, ſimul atque corolla explicatur deflexæ totæ, poſt biduum patentiſſimæ & brevi marcescentes.

NECTARII *ſaccus* rubro pallidoque varius. *Cornuum* atroſanguineorum *roſtrum* ſubulatum, acutum, erecto-recurvatum, dorſo ad medietatem usque excurrens in *alam* latam, erectam, truncatam, roſtro breviorem, apice crenatam. *Ligulæ* concolores, oblongæ, acutæ, patulæ, alis breviores.

TABULA proponit plantam florentem; & aucta nectarium totum, ſtamen, cornu, ſtigma & germen.

## STAPELIA HAMATA.

Stapelia corollis planis, ciliatis, totis ſupra rugoſis, centro hirſutis, cæterum glabris; roſtris ſubulatis, dente uno alterove hamatis; alis parallelis cum roſtris, erectis; ligulis emarginatis.

RAMI ad lentem villoſi, ad tactum molles, virides, nitidi, erecti, tandem pedales & digitum minimum craſſi, tetragoni, juniores ſulcati, adulti latere plani, angulis dentatis, dentium mucronibus erectis vel incurvatulis.

PEDUNCULI ex inferiore parte ramorum juniorum, ex proceſſu communi ſucceſſive plusculi, teretes, ad lentem villoſuli, calamum craſſi, triunciales, virides, procumbentes.

CALYCIS foliola quinque, lineari-lanceolata, acuta, ad lentem villoſula, ſordide virentia, patentiſſima.

COROLLA fœtida, quadriuncialis diametri, profunde quinquefida, craſſa, plana, in principio patentiſſima, tandem ſemirevoluta; ſubtus pallida lineata & glabra; ſupra tota ſtriis transverſis flavis ſanguineisque rugoſa, apice marginibusque atroſanguinea, disco flava comaque ſanguinea hirſutiſſima. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* ovatæ, acuminatæ, pilis rubris ciliatæ.

NECTARII *ſaccus* ex croceo rubroque varius. *Roſtra* ſubulata, erectiuscula, atroſanguinea, uno alterove dente gracili hamata, ſuperne ſordide flavescentia tenuiaque. *Alæ* lineari-oblongæ, erectæ, cum roſtris parallelæ, ex quorum baſi ortæ, obtuſulæ, & uno dente inciſæ vel emarginatæ, roſtris ad unam tertiam breviores. *Ligulæ* oblongæ, emarginatæ, baſi rubræ, cæterum atroſanguineæ, patulæ.

TABULA ſiſtit totam plantam; aucta nectarium totum, ſtamen, cornu, ſtigma & germen.

# STAPELIA HIRSUTA.

Stapelia corollis planis, ciliatis, disco in facie hirſutis, cæterum glabris & transverſe rugoſis; roſtris ſubulatis, acutis, dorſo per maximam longitudinem excurrentibus in alam latam acutam roſtroque paulo breviorem.

Stapelia corollis quinquefidis; laciniis ovatis, acutiusculis, margine villoſis, fundo villoſo; pedunculis teretibus, longitudine corollæ; ramis adſcendentibus, tetragonis, baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1278.

Stapelia denticulis ramorum erectis. *Linn. ſyst. pag.* 260. *Mill. icon. pag.* 172. *tab.* 258. *Jacq. misc. vol.* 1. *pag.* 28. *tab.* 3.

Stapelia caule aphyllo, tetragono; denticulis erectis; flore pedunculato; corolla hirſuta. *Thunb. prodr. pag.* 46.

Asclepias africana aizoides, flore pulchro fimbriato. *Comm. rar. pag.* 19. *tab.* 19. *Bradl. ſucc.* 3. *pag.* 5. *tab.* 23.

RAMI erecti, ad lentem villoſuli, digitum craſſi, ſemipedem plus minus longi, ſordide virentes, ſulcato-tetragoni; angulis dentatis, dentibus erectis.

PEDUNCULI ex ramorum inferiore parte, teretes, villoſuli, patentiſſimi, biunciales, calamum craſſi, uniflori, ſæpius ſolitarii.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acutula, ad lentem villoſula, patentiſſima, ſordide virentia.

COROLLA fœtidiſſima, diametro quatuor uncias æquans, quinquepartita, patentiſſima; foris lineata, glabra, & tota pallide virens. *Tubus* amplus, brevis, intus pilis purpureis hirſutiſſimus. *Laciniæ* lanceolatæ vel ovatæ, in acumen obtuſum anguſtatæ, planæ, ad oras longis purpureisque pilis denſe ciliatæ; ſupra glabræ, pallide flavescentes, ſtriis ſanguineis transverſis rugoſæ, verſus apicem & ad margines totæ ſanguineæ; tandem ſemirevolutæ.

NECTARII *ſaccus* rubro pallidoque varius. *Cornuum* atroſanguineorum *roſtrum* ſubulatum, acutum, erecto-recurvatulum, dorſo ad medietatem usque excurrens in *alam* latam, erectam, acutam, fere longitudine roſtri, margine exteriori integerrimam, interiore crenatam. *Ligulæ* concolores, oblongæ, acutæ, patulæ, roſtris breviores.

OBSERV. Colore, cornibus chelæformibus, aliisque diſtinguitur a Stapelia grandiflora. Variat florum magnitudine, uti videre eſt ex hac figura & Miscellaneis meis.

TABULA ſiſtit plantam florentem; aucta nectarium, ſtamen, cornu, ſtigma & germen.

## STAPELIA HIRSUTA. VARIETAS.

OBSERV. Stapelia hirſuta variare ſolet. Hac in tabula propono plantam, a priore jam figurata diverſam ſtatura ramorum, ramis plusculis hexagonis, pedunculis magis villoſis & craſſioribus, imprimis autem corollarum colore. Si alterutram ſolam exhibuiſſem, potuiſſet ille, qui alteram ſolam vidiſſet, meam depictam credere male datam, aut ſuam novam. Aucta adſtant ſtigma, germen, nectarium totum, ſtamen & cornu.

# STAPELIA AMBIGUA.

Stapelia corollis planis, ciliatis, totis rugosis, infra medium hirsutis, supra medium nudis; rostris subulatis, acutis, supra medium recurvatis, dorso basi excurrentibus in alam latam adscendentem & superne dentatam.

Stapelia ramis erectis, quadrangularibus, clavatis; angulis dentatis, remotis, incurvatis; corolla magna, plana, quinquefida; laciniis lanceolatis, hispidis, margine ciliatis. *Mass. stap. pag.* 13. *tab.* 12.

Stapelia corollis quinquefidis, hispidis; laciniis ovato-lanceolatis, acutis, margine villosis; pedunculis multifloris; ramis erectis, tetragonis, clavatis, basi floriferis. *Wilden. spec. vol.* 1. *pag.* 1279.

RAMI basi plerumque adscendentes, cæterum erecti, a dimidio ad pedem alti, pollicem crassi, clavati, profunde quadrisulcati, toti ad tactum mollissimi & holosericei; angulis dentatis; dentibus subulatis, erectis vel incurvatis.

PEDUNCULI ex inferiore ramorum parte, teretes, villosi, fere calamum crassi, patentissimi, plerumque multiflori ex pedunculo communi duplo crassiori brevissimoque & ex propriis umbellatis unifloris uncialibus mutuo succedentibus, rarius simplicissimi & uniflori.

CALYCIS foliola lineari-lanceolata, acuta, concava, villosa, patentissima, parva.

COROLLAE fœtidæ, diametri fere quinqueuncialis, coriaceæ, & ad duas tertias partes quinquefidæ, *tubus* urceolatus, brevissimus. *Laciniæ* ovato-lanceolatæ, acutæ, planæ, pilis longis distichis albidis purpureisque ad margines ciliatæ, primo patentissimæ, dein semireflexæ; subtus quinquenerviæ, sordide pallentes & villosulæ; facie totæ rugis transversis percursæ sanguineis, has inter pallentes, infra medium hirsutæ, supra medium nudæ & atrosanguineæ.

NECTARII *saccus* flavus. *Cornua* sanguinea; *rostro* subulato, longissimo, retrorsum arcuato, acuto; *alis* latis, erectis, apice oblique truncato lato & dentato. *Ligulæ* lanceolatæ, acutæ, integerrimæ, erectæ cum apice patente, basi flavæ, cæterum sanguineæ. *Antheræ* viridulæ.

TABULA sistit plantam florentem; aucta nectarium totum, cornu, stamen, germen, & stigma.

## STAPELIA AMBIGUA. VARIETAS.

Ex figura diverſitas hujus a jam deſcripta ambigua patet; quæ imprimis obtinet in corollæ colore & magnitudine. Hæc tabula unam tertiam dumtaxat unius plantæ partem exhibet, truncata una a latere, & altera a dorſo. Flos in illa pendulus & connivens eſt flos jam marceſcens: dum enim explicatur floris gemma, mox petali laciniæ ſunt patentiſſimæ, dein ſemireflectuntur, poſt paucos dies marceſcendo eriguntur, tandem connivent. Aucta etiam ſiſtuntur nectarium, ſtamen, cornu, ſtigma & germen.

## STAPELIA DEPRESSA.

Stapelia corollis ciliatis, ſupra transverſim ſtriatis centroque hirſutis, cæterum glabris; roſtris aliſque ſubulatis acutisque; ligulis apice tridentatis.

RAMI plures, baſi cohærentes, ad lentem villoſuli, ad tactum molles, erecti, ſemipedales, digitum craſſi, ſulcato-quadrangulares; angulis dentatis, dentibus erectis.

PEDUNCULI ex inferiore ramorum juniorum parte, ſolitarii, uniflori, teretes, ad lentem villoſi, patentiſſimi, ſordide purpuraſcentes, ſescunciales, fere calamum craſſi.

CALYCIS quinquepartiti foliola lineari-lanceolata, acuta, patentiſſima.

COROLLA fœtida, fere triuncialis diametri, ad duas tertias quinquefida; foris ſordide pallens glabra & lineata; ad oras & intus in diſco pilis longis purpureis denſe obſita, cæterum glabriuſcula ſtriisque undulatis alternatim purpureis & ex flavo virentibus transverſim percurſa. *Tubus* vix ullus. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, patentiſſimæ, primo planiſſimæ, dein ad oras revolutæ.

NECTARII *ſaccus* rubro flavoque varius. *Roſtra* ſubulata, acuta, longiſſima, atroſanguinea, erecto-patula. *Alæ* roſtris ſimillimæ, ſed breviores. *Ligulæ* oblongæ, apice tridentatæ, concolores, patentes.

OBSERV. Sæpius ex Anglia ad nos transmiſſa fuit ſub titulo Stapeliæ pulvinatæ, a qua Maſſonis planta certe eſt diverſiſſima. Cum Stapelia ſororia in majore ſtat affinitate; ſed ab hac iterum maxime discrepat alis ligulisque, imprimis autem corolla adhucdum clauſa ſive gemma floris. Scilicet hæc inflata verticem ipſum habet planiſſimum, compoſitum ex apicibus laciniarum arcte conniventibus, infra quos laciniæ in foveas deprimuntur cum oris elevatis; unde gemmæ figura exſurgit, quam in nulla alia Stapelia obſervavi.

TABULA ſiſtit plantam florentem; auctaque nectarium, ſtamen, cornu, ſtigma & germen.

56

## STAPELIA SORORIA.

Stapelia corollis planis, ciliatis, totis ſupra rugoſis, centro hirſutis, cæterum glabris; roſtris ſubulatis, acutis; alis oblongis, obtuſis, interne unidentatis; ligulis acutis.

Stapelia ramis divaricatis, quadrangularibus; angulis dentatis; dentibus remotis, acutis, incurvatis; corolla unicolori, quinquefida; laciniis lanceolatis, planis, centro villoſo, margine ciliatis. *Maſs. ſtap. pag.* 23. *tab.* 39.

Stapelia corollis quinquefidis, rugoſis; laciniis oblongis, acutis, margine villoſis, fundo villoſo; pedunculis teretibus, corolla longioribus; ramis divaricatis, tetragonis, baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1278.

RAMI tetragoni, profunde ſulcati, ad lentem ſubvilloſi, virides, ſemipedales vel pedales, digitum vel pollicem craſſi, divaricati, vel adſcendentes, etiam dejecti, raro intermedius cauli ſimilis erectus, angulati, angulis dentatis, dentibus incurvatulis & villoſulis.

PEDUNCULI oriuntur ex inferiore parte ramorum, ex pedunculo quodam ſive proceſſu communi craſſo brevique ſucceſſive plusculi egredientes, teretes, ad lentem villoſuli, nutantes, ſordide purpurascentes, triunciales, calamum craſſi, raro a me viſi ſolitarii.

CALYCIS foliola lineari-lanceolata, acuta, patentiſſima.

COROLLA fœtida, triuncialis diametri, profunde quinquefida. *Tubus* vix ullus. Centrum villis ſanguineis hirſutum. *Laciniæ* ovatæ, acutæ, planæ, pilis rubris ciliatæ, cæterum impubes, ſubtus pallide virentes & lineatæ, ſupra ſordide purpureæ, ſtriis elevatis transverſis ex flavo pallentibus rugoſæ, verſus apicem unicolores & nigriores, primo patentiſſimæ, ſed brevi ad calycem usque revolutæ.

NECTARII *ſaccus* ruber cum fasciis atroſanguineis. *Roſtra* ſubulata, acuta, longiſſima, atroſanguinea, erecto-patula. *Alæ* concolores, oblongæ, obtuſæ, rectæ, interne unidenticulatæ, breves. *Ligulæ* oblongæ, acutæ, concolores, erecto-patulæ.

TABULA ſiſtit plantam florentem; aucta dein nectarium integrum, ſtamen, cornu & germen.

## STAPELIAE SORORIAE VARIETAS.

OBSERV. Ramis crescit hæc omnibus magis minusve erectis; pedunculos habet ſolitarios, laciniasque corollæ magis lanceolatas. Cætera omnia congruunt cum Stapelia ſororia mea. Imo conveniunt magis cum figura Maſſoniana, ſi ramorum excipis gracilitatem, nam etiam hic rami pinguntur erecti, qui in deſcriptione dicuntur divaricati, quos tam craſſos in individuis noſtris nondum vidi. Tres tamen has plantas pro eadem ſpecie habeo, quæ multum videtur variare.

In TABULA ſpectatur tota planta florens, ex ſeminibus enata. Aucta dein nectarium integrum, ſtamen, cornu, ſtigma, & germen.

## STAPELIAE SORORIAE VARIETAS ALIA.

OBSERV. Quantumvis a Sororia mea momentis aliquot discrepet, non auſus tamen fui ſpecie ſeparare. Meretur nihilominus propriam iconem. Ex Anglia ad nos advecta fuit.

## STAPELIA GRANDIFLORA.

Stapelia corollis planis, ciliatis, hirſutis, verſus apicem ſolum glabris & rugoſis; roſtris ſubulatis, acutis, erectiusculis, dorſo per maximam longitudinem excurrentibus in alam latam & apice dentato-truncatam.

Stapelia ramis quadrangularibus, clavatis; angulis dentatis; dentibus remotis, incurvatis; corolla magna, plana, villoſa, quinquefida; laciniis lanceolatis, acutis, margine ciliatis. *Maſs. ſtap. pag.* 13. *tab.* 11.

Stapelia corollis quinquefidis, villoſis; laciniis lanceolato-acuminatis, margine ciliatis; pedunculis baſi incraſſatis, corolla brevioribus; ramis erectis, tetragonis, clavatis, baſi floriferis. *Wilden. ſpec. vol.* 1. *pag.* 1278.

RAMI erecti, e viridi glaucescentes, clavati, breviſſime villoſi, ad tactum molliſſimi, plus minus pedales, diametri uncialis & ultra, tetragoni, profundiſſime ſulcati; angulis dentatis; dentibus incurvatis, villoſis.

PEDUNCULI ex inferiore parte ramorum, uniflori, villoſi, teretes, unciales, fere calamum craſſi, a ſolitario ad quinque aggregatos.

CALYCIS quinquepartiti foliola lanceolata, acuta, concava, villoſa, pallide virentia, patentiſſima, parva.

COROLLAE fœtidæ, diametro quinque vel & ſex cum dimidia uncias æquantis, profunde quinquefidæ & patentiſſimæ *tubus* amplus, obſolete quinquangularis & brevis. *Laciniæ* lanceolatæ, acutæ, planæ; ſubtus quinquenerviæ, pallentes cum ſuffuſa rubedine, glabræ, ad tactum tamen molles & coriaceæ; facie atroſanguineæ villisque concoloribus & molliſſimis denſiſſime tectæ, ſolummodo ſuperiora verſus his deſtitutæ, hic magis nigricantes & rugis transverſis exaratæ, ad oras pilis cinereis diſtichis longisque ciliatæ, tandem ſemirevolutæ.

NECTARII *ſaccus* rubro flavoque varius eſt. *Cornuum* atroſanguineorum *roſtrum* ſubulatum, acutum, erectiusculum. *Alæ* criſtæformes, latiſſimæ, roſtro paulo breviores, cujus dorſo per maximam longitudinem adnatæ, apice truncato argute & inæqualiter multidentatæ, margine integerrimæ. *Ligulæ* ſunt lineari-lanceolatæ, acutæ, patulæ cum apice recurvato, foris atroſanguineæ, intus pallidiores.

OBSERV. Villoſitas ſumma eſt in ramis, ſed tam tenera, ut in icone apte exprimi non potuerit. Sæpe evadit ramoſiſſima, dum ex baſi caulis principis egrediuntur rami breves decumbentes, ex quibus iterum plures rami erecti attolluntur, ut ultra ollæ margines undique extent. Non ſeparo a planta Maſſoniana; quamvis diſcrimen obſervem in angulis ramorum, qui in figura Maſſoniana, ſaltem anteriores, ſunt rotundati & craſſiſſimi, in plantis autem noſtris ſunt omnes perpetuo, etiam adultiores, tenues, ut rami potius quadrialati quam tetragoni mereantur vocari. Fasciæ etiam illæ longitudinales, colore obſcuriores, depictæ in corolla ſtirpis Maſſonianæ, in noſtra omnino deſiderantur.

TABULA plantam repræſentat florentem; dein aucta germen, ſtigma, nectarium totum, cornu, & ſtamen.

## STAPELIA PEDUNCULATA.

Stapelia ramorum angulis rotundatis, dentibus parvis; roſtris alisque rotundatis, obtuſis, tuberculatis; corollæ oris ad ſinus fimbriatis.

RAMI plures, a duabus ad quinque uncias longi, digitum craſſi, glabri, glauci, erecti divaricati adſcendentes vel declinati, tetragoni, angulis valde rotundatis et ſubdentatis, dentibus obtuſis, ſæpe obſoletis.

PEDUNCULI plusculi aggregati, mutuo ſucceſſive ſequentes, teretes, glabri, pallentes cum rubore, uniflori, quinque uncias longi, fere calamum craſſi, ex inferiore parte ramorum.

CALYCIS foliola quinque, lanceolata, acuta, glabra, pallide virentia, patentiſſima.

COROLLA fœtidiſſima, diametri duarum cum dimidia unciarum, patentiſſima, profunde quinquefida, ſubtus vireſcens; ſupra luteſcens cum baſi cineraſcente et punctis adſperſa, vix rugoſa. *Tubus* nullus. *Limbi* laciniæ lanceolatæ, acutæ, ad baſin in margine utroque fimbriis mobilibus purpureis ciliatæ, cæterum impubes, oris ſic revolutæ, ut faciem habeant convexam & dorſo ſibi mutuo accumbant.

NECTARII *ſaccus* brevis, baſi virens, dein atropurpureus. *Roſtra* & *Alæ* uniformiter atra, oblonga, erecto-patula, obtuſiſſima, rotundata, & ſuperne tota undique tuberculata. *Ligulæ* oblongæ, emarginatæ, patentes, atropurpureæ.

OBSERV. Hæc Stapelia ex Anglia ante pluſculos annos in hortum cæſareum penſilem Vindobonenſem ſub erroneo Stapeliæ apertæ nomine miſſa fuit; ubi ſub cura hortulani aulici Franciſci Antoine anno 1810 primum & unicum huc usque florem produxit. Videtur unica illa eſſe varietas cum flore luteſcente, de qua egregius Maſſon loquitur.

TABULA ſiſtit plantam florentem; florem ex dorſo viſum, corollæ laciniam vi expanſam; tum aucta nectarium totum, ſtamen, cornu, germen & piſtillum.

## STAPELIA PEDUNCULATA ALIA.

Stapelia ramorum angulis rotundatis, dentium loco lineola interrupta transverſe notatis corollæ laciniis in oris ad ſinus fimbriatis; roſtris ſuperne rotundatis, tuberculatis.

RAMI erecti, divaricati vel adſcendentes, obſoletiſſime tetragoni, glauci, digitum craſſi, palmares plus minus, glabri; angulis rotundatis, nonnunquam vix ullis, omnino edentatis, dentium loco lineola transverſa notatis.

PEDUNCULI ex inferiore parte ramorum, penduli, uti in priore.

COROLLA uti in priore; ſed paulo minor, intus purpurea, & laciniis erectis, licet tota ſit pendula.

NECTARIUM omnino ut in priore; quare in figura eſt omiſſa.

TABULA exhibet plantam florentem in olla, florem ſeorſim erectum ad meliorem inſpectionem; & auctam portionem laciniæ petali cum fimbriis.

OBSERV. In hortum noſtrum botanicum ex Anglia transmeavit ante plures annos ſub erroneo Stapeliæ apertæ nomine, floruitque prima vice anno 1812 menſe Septembri. Jam quatuor extant icones Stapeliæ pedunculatæ, quæ utrum totidem ſint ſpecies diſtinctæ, an vero omnes ejusdem ſpeciei meræ varietates, ego decidere non auſim. Prima eſt Maſſoniana, ad quam maxime accedit hæc ollaris mea ſecunda. Tertia eſt pedunculata prima mea. Quarta Simſiana illa, quæ in volumine primo & viceſimo operis Botanical Magazin ad paginam 793. depingitur. Hæc colore viridi, eminentiis parvis paucisque loco dentium & defectu lineolarum transverſarum a tribus aliis diſtinguitur. Prima mea dentibus, exiguis quidem, tamen manifeſtiſſimis diſcrepat a reliquis. A ſecunda mea apicibus ramorum rubellis & ſolutis ſuis Maſſoniana diſcriminatur.

## STAPELIA PEDUNCULATA. *Maſſ. ſtap. pag.* 311. *tab.* 21.

Stapelia ramis pluribus divaricatis tetragonis ſubdentatis. Pedunculis longiſſimis. Corolla quinquefida, laciniis lanceolatis, margine revolutis, angulis fimbriatis.

Planta palmaris glaberrima glauca. Rami divaricati tetragoni ſubdentati teretes obtuſiſſimi.

PEDUNCULI quatuor vel quinque in faſciculis ex inferiore parte ramulorum juniorum provenientes teretes glabri ramis triplo longiores.

CALYX quinquepartitus acutus.

COROLLA quinquefida: laciniæ lanceolatæ, obſolete rugoſæ, anguli fimbriati, infra punctis griſeis adſperſæ, margine revolutæ.

COLOR: corolla brunneo-purpuraſcens. Variat colore luteſcente.

Habitat in Africæ auſtralis regionibus Camies-berg aridis. Florebat in hortulo meo in Capite bonæ Spei 1792.

OBSERVATIO JACQUINI. Figura hujus Stapeliæ ex opere Maſſoniano quam fideliſſime expicta fuit; & omnia deſcriptionis verba ſunt ipſiſſima Maſſonis. Inſerui hanc & ſubſequam plantam Simſianam hoc loco Stapeliis meis, quod credidi, rem jucundam me facturum lectoribus meis, qui ſic ipſi de quatuor hiſce plantis adhucdum dubiis judicium ferre poterunt. Extra Angliam duo iſta opera ſunt rariſſima. Viennæ unicum Maſſoniani exemplar novi in bibliotheca privata auguſtiſſimi Imperatoris, Curtiſii autem operis ſola duo, quorum alterum illuſtriſſima poſſidet Comes ab Harrach ex Principibus a Lichtenſtein Botanicæ amantiſſima, alterum vir clariſſimus Leopoldus Trattinnick, utrumque ob interruptum commercium maritimum incompletum. In icone Maſſonis pedunculi delineantur ſtricte erecti; quod fieri ſic neceſſario debuiſſe, autumat Simſius, quia oriuntur hic ex ſuperiore (antica rectius) parte rami. In deſcriptione Maſſoniana non ſit ulla directionis pedunculorum mentio. Ego autem inducor, ut credam, in quatuor memoratis Stapeliis pedunculos ex natura ſua eſſe pendulos, & ſolo obſtaculo externo ab hoc ſitu deviare. Sic in planta Simsiana pedunculi, ex ramulorum ſuperiorum parte poſtica orti, liberi dependent. In mea alia ſimiliter dependent ultra ollæ fundum, cum demiſſius oriuntur. In prima mea pedunculus horizontalis eſt, quia ejus olla ob ſpatii anguſtiam preſſe circumdabatur ollis aliis, quibus pedunculus incumbebat, ex natura ſua etiam pendulus. In Maſſoniana viva planta pedunculi, ob magnam denſamque ramorum copiam & in horum inferiore parte orti, non poterant dependere, ſed incumbebant ramis vicinis, quod pro flacciditate fortuita habitum a delineatore fuit, qui corrigere hanc arbitratus illos erectos fecit. Eſt hæc conjectura mea forte erronea.

## STAPELIA PEDUNCULATA. *Botan. Magaz. vol. 21. ad pag. 793.*

Stapelia pedunculata. *Maff. ftapel. pag. 31. tab. 21.*

Diftinctiffime hæc Stapeliæ fpecies a congeneribus facile dignofcitur peculiari pedunculorum longitudine. Etiam in ftatu non florente a reliquis fpeciebus abunde difcrepat habitu ramorum. Angulis fcilicet ramorum tam obfoletis gaudet, ut hi fere cylindracei evadant, dentesque eminentiis verrucofis fimiles, fæpius parvi funt & multis in locis perfecte obliterati. Maffon pedunculos ex parte inferiore ramorum juniorum ortos defcribit, uti in noftra icone delineati funt, fed in icone Maffoniana ex parte fuperiore ramorum oriuntur, et flores confequenter erecti fiftuntur. Notabilem differentiam in coloris corollæ faturatione obfervavimus, et Maffon varietates duas meminit, alteram corolla fufco-purpurea, alteram corolla flavefcente. Affiduus ille collector plantarum hanc fpeciem invenit in Capite bonæ Spei ad montem Camies, inque hortum Kewenfem introduxit anno 1784. Icon noftra ad exemplar Domini Woodfoord Vauxhall concinnata eft, ubi floruit fub finem Junii elapfi. Culturam generis notam requirit, et nullatenus tam infrequenter floret ac multæ aliæ. Hactenus Simfius.

OBSERVATIO JACQUINI. Illuftris Simfius inculpat hic Maffonem, ac fi in defcriptione atque figura fua fibi contradiceret. Sed hanc reprehenfionem Simfius non protuliffet, fi confideraffet, Maffonem in toto operis fui decurfu, ubi pedunculos ait ex rami parte inferiore ortos, ubique intelligere rami bafin, fummitatem vero ejusdem, quando ex fuperiore ortos pronunciat. Nec etiam ullibi Maffon in mentionem incidit de loco definito fuperficiei rami, ex quo pedunculi enafcuntur, utrum ex fuperiore five antica, an ex poftica. Ego in Stapeliis cultis meis Maffonem imitatus fui.

# STAPELIAE VARIAE.

Inter Stapelias, quas colimus in hortis noftratibus, paucæ fructum tulerunt. Quæ tulerant, quando illas defcribebam, pingique curabam, harum tabulæ etiam fructus exhibent. Sed quædam ferius folliculos emiferunt, quos in tabulis communibus fucceffive exponam. Sic in hac tabula figura prima folliculorum Stapeliæ variegatæ eft, quam maxime divergentium, & vel fola hac nota discrepantium ab illis planifloræ, eadem directione fimul porrectis, uti figura indicat fecunda. Tertia folliculorum eft Stapeliæ grandifloræ, mollium & villoforum.

Plures Stapeliæ variare folent cum habitu ramorum, tum magnitudine & colore florum. Has notabiliores varietates jam aliquot edidi. In hac tabula iterum tres propono. Figura quarta eft Stapelia venufta minor; ubi additur ftigma, quod in venufta majore omiffum fuerat. Figura quinta eft Stapelia bufonia altera, maculis diverfa, quam ob genitalia fimillima non feparo. Figura fexta repræfentat Stapeliam normalem majorem, colore imprimis diverfam.

65

# INDEX.


Stapelia ambigua. 53.
— — ambiguae var. 54.
— — anguinea. 37.
— — Asterias. 47.
— — barbata. 2.
— — bufonia. 35.
— — bufoniae var. 36.
— — bufoniae var. altera. 64.
— — campanulata. 1.
— — cespitosa. 11.
— — clavigera. 5.
— — clypeata. 34.
— — comata. 49.
— — conspurcata. 32.
— — deflexa. 20.
— — depressa. 55.
— — divaricata. 22.
— — duodecimfida. 4.
— — fissirostris. 23.
— — fuscata. 46.
— — geminata. 16.
— — gemmiflora. 24.
— — glanduliflora. 21. 64.
— — glauca. 44.
— — grandiflora. 59.
— — hamata. 50.
— — hircosa. 25.
— — hirsuta. 51.
— — hirsutae var. 52.
— — hirtella. 10.
— — juvencula. 28.
— — lepida. 43.
— — maculosa. 31.
— — marmorata. 38.
Stapelia mastodes. 13.
— — mutabilis. 29.
— — mutabilis var. 30.
— — normalis. 42.
— — normalis major. 64.
— — ocellata. 6.
— — paniculata. 26.
— — patula. 56.
— — pedunculata Jacquini. 60.
— — pedunculata Massoni. 61. 62.
— — pedunculata Simsii. 63.
— — planiflora. 40. 64.
— — radiata. 12.
— — reclinata. 14.
— — replicata. 15.
— — reticulata. 8.
— — reticulata deformis. 9.
— — revoluta. 45.
— — roriflua. 19.
— — rugosa. 41.
— — serrulata. 17.
— — sororia. 56.
— — sororiae variet. 57.
— — sororiae var. alia. 58.
— — stellaris. 48.
— — trisulca. 33.
— — tubata. 3.
— — variegata. 39. 64.
— — venusta. 7.
— — venusta minor. 64.
— — verrucosa. 18.
— — vetula. 27.
— — uncinata. 58.

# DISPOSITIO

## DESCRIPTIONUM ET TABULARUM.


Pagina tituli.

Praefatio.

Stapeliae sylvestres. (*Cantus cygni!*)

Synopsis.

1. Stapelia (*Heurnia*) campanulata.
2. — — barbata.
3. — — tubata.
4. — — duodecimfida.
5. — — clavigera.
6. — — ocellata.
7. — — venusta.
8. — — reticulata.
9. — — reticulata deformis.
10. — (*Duvalia*) hirtella.
11. — — cespitosa.
12. — — radiata.
13. — — mastodes.
14. — — reclinata.
15. — — replicata.
16. — (*Obesia*) geminata.
17. — — serrulata.
18. — (*Podanthes*) verrucosa.
19. — — roriflua.
20. — (*Gonostemma*) deflexa.
21. — — glanduliflora.
22. — — divaricata.
23. — — fissirostris.
24. — (*Tridentea*) gemmiflora.
25. — — hircosa.
26. — — paniculata.
27. — — vetula.
28. — — juvencula.
29. Stapelia (*Orbea*) mutabilis.
30. — — mutabilis varietas.
31. — — maculosa.
32. — — conspurcata.
33. — — trisulca.
34. — — clypeata.
35. — — bufonia.
36. — — bufoniae var.
37. — — anguinea.
38. — — marmorata.
39. — — variegata.
40. — — planiflora.
41. — — rugosa.
42. — — normalis.
43. — — lepida.
44. — (*Tromotriche*) glauca.
45. — — revoluta.
46. — — fuscata.
47. — Asterias.
48. — stellaris.
49. — comata.
50. — hamata.
51. — hirsuta.
52. — hirsutae var.
53. — ambigua.
54. — ambiguae var.
55. — depressa.
56. — sororia (patula Willd.)
57. — sororiae var. (sororia Willd.)
58. — sororiae var. alia (uncinata Jacq.)
59. — grandiflora.
60. — (*Caruncularia*) pedunculata *Jacq.*
61. — — pedunculata *Mass.*
62. — — pedunculata *Mass.*
63. — — pedunculata *Sims.*
64. Stapeliae variae.

Index et Dispositio tabularum et descriptionum.


Opus, quod venerandae memoriae pater cantum suum cygneum fore, eheu perquam vere vaticinatus est, ultimis paginis absolutum, botanicis hic propono. Quantum animus auctoris in finiendo hoc opere intentus fuerit et quam peculiari amore genus hocce plantarum dilexerit, familiaribus suis abunde notum est. Adhuc in ultimarum dierum vitae lethargo, fugaci praesentis animi intervallo, de florescentia stapeliarum in hortis anxie inquisivit. Secessum nempe fautoris eximii quasi lugentes, anno ante et post obitum ejus, pleraeque inprimis dubiosae et indeterminatae, florem denegarunt. Hinc Synopsin ante tres annos a me concinnatam revisam neque auctam recudi curavi, et si in posterum adhuc aliquas species publicatione dignas in hortis observare contigerit, Eclogis meis inseram.

Vindobonae die 20. Novembris 1819.

*Josephus Franciscus L. B. de Jacquin.*

99 1007327

*Stapelia campanulata.*

*Stapelia barbata.*

*Stapelia tubata.*

*Stăpelia duodecimfida. Varietas tūbalīē*

*Stapelia clavigera.*

*Stapelia ocellata.*

*Stapelia venusta.*

*Stapelia reticulata.*

*Stapelia reticulata deformis.*



*Stapelia hirtella.*

*Stapelia cespitosa.*



*Stapelia radiata.*

*Stapelia mastodes.*

*Stapelia reclinata.*

*Stapelia replicata.*



*Stapelia geminata.*

*Stapelia serrulata.*

*Stapelia verrucosa.*

*Stapelia roriflua.*

*Stapelia deflexa.*

*Stapelia glanduliflora.*

*Stapelia divaricata.*

*Stapelia fissirostris.*

*Stapelia gemmiflora.*

*Stăpelia hircosa.*

*Stapelia paniculata.*

*Stapelia Vetula.*

Stapelia Juvencula.

*Stapelia mutabilis.*

*Stapelia mutabilis varietas.*

*Stapelia maculosa.*



*Stapelia conspurcata.*



*Stapelia trisulca.*

Stapelia clypeata.

Stapelia bufonia.

35

*Stapelia bisonia. Varietas.*

*Stapelia anguinea.*

31

*Stapelia marmorata.*

Stapelia variegata.

*Stapelia planiflora.*

*Stapelia rugosa.*

*Stapelia normalis.*

*Stapelia lepida.*

*Stapelia glauca.*

*Stapelia revoluta.*

*Stapelia fuscata.*

48



*Stapelia Asterias.*



*Stapelia stellaris.*

*Stapelia comata.*

*Stapelia hamata.*

*Stapelia hirsuta.*



*Stapelia hirsuta. Varietas.*

*Stapelia ambigua.*

*Stapelia ambigua. Varietas.*

*Stapelia depressa.*

*Stapelia sororia.*

*Stapelia sororia. Varietas.*

*Stapelia sororia. Varietas alia.*

*Stapelia grandiflora.*

*Stapélia pedunculata.*

*Stapelia pedunculata alia.*

*Stapelia pedunculata Massonis.*

*Stapelia pedunculata Simsii.*

*Stapelie variée.*

99 1007327

6.9.6.12

AI

# STAPELIARUM

IN HORTIS VINDOBONENSIBUS CULTARUM

DESCRIPTIONES FIGURIS COLORATIS ILLUSTRATÆ.

AUCTORE

NICOLAO JOSEPHO L. B. A JACQUIN

ORD. S. STEPHANI R. A. EQUITE, S. C. ET C. R. MAJESTATI A CONSILIIS MONTANIS, IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORE CHEMIAE ET BOTANICES EMERITO, ACADEM. IMPER. PETROPOLITANAE, REG. LONDIN. BEROL. HOLM. UPS. EDIMB. PALAT. HARL. &c. SOCIO.

VINDOBONAE

PROSTANT APUD WAPPLER ET BECK, LONDINI APUD WHITE.

1806.

1872

6.9.6.12

PR 52616